MILES MACEDONICVS PLAVTINO SALE PERFRICTVS.

Opera

ANNIBALIS CORRADINI
VERONENSIS.


Sic isti solent superbi subdomari.

Plautus in Asinaria III. 3. 112.



ALTDORFI NORICORVM

Typis Io: Henrici Schennerstædt.





MInervam è Iouis cerebro natam fictis fabulis poetæ prodiderunt. Nouus homo commentum planè simillimum nuperrimè lusit. Assem Lector para, & fabellam accipe. Frater Henricus Hausen Adventoriam P. Norisij insulsis æque ac contumeliosis scriptis oppugnans, iactat se inuenisse in Augustini epistola Albinum, de quo ante annum Norisius, ac Macedo acerrimè litigarunt. Cum pro vindemialibus ferijs Verona egressus rus concessissem, Hauseni inuectiuam, vnaque vtriusque laudati scriptoris libros mecum tuli, vt exacto postea autumno in vrbem rediens, meum de eadem inuectiua iudicium amicis, & præsertim Francisco Sparauerio V.C. significarem: Et quidem cum opellam illam percurrissem, ægrè, ac acerbe tuli Henricum Norisium, nouum Veronæ nostræ decus, tam densa conuiciorum fuligine denigrari, nec tamen in eo sugillando petulantissimi censoris audaciam satiari, sed quæsita occasione in alterum nostrum conciuem, eumque amicissimum Sparauerium vesano prorsus impetu excurrere. Tum ea me indignatio cepit, vt irata manu stylum aduersus Zoilum strinxerim: vtrique conciui meam aduocationem iure patrio commodaturus. Ceterum cum nulla mihi in hoc rustico secessu librorum copia esset, quorum præsidio Critici censuras, toto eruditionis campo profligarem, id consilij cepi, vt insulsam, & ridiculam Hauseni inuectiuam vnius Plauti dictis non iam refellerem, quam per contemptum irrisam exibilarem.

Mihi quoque edepol, quoniam hic nugatur, contra nugari lubet. Trin. 4. 2. 55.

Illius enim poetæ facetissimi comœdias mecum tuleram, vt vbi vel manum ab aucupio, vel à vindemiatorum opera oculos auocassem, festiua earumdem lectione oblectarer. Ille quidem in titulo, depresso supercilio, ac Dictatoria auctoritate pronunciat: *Noris castigatus*, sed profectò hunc ignauissimum castigatorem. Pag. 3. in tit.

Castigabit pro commerita noxia, Trin. 1. 1. 4.
Qui admisit in se culpam castigabilem. Ibid. 2. 6.
Ego pol te ruri, si viuam, vlciscar probè. Most. 1. 1. 4

Quidam Noris (est inuectiuæ initium) *nouam opinionem inuexit, nomina virorum poni pro nominibus feminarum, & contra, vt ita sustineret opinionem suam in Augustino poni* Albinum *nomen proprium viri pro* Albina *femina, quia Augustinus librum suum de gratia Christi* Albino, Piniano, & Melaniæ *dedicauit*.

Si cum Horatio dixisses lib 1. serm. sat. 9.

Occurit quidam notus mihi nomine tantum.

Ex eodem poeta quinto postea versu responsum accepisses, nam ibidem ait:

Noris nos, inquit docti sumus, hic ego pluris.

Interim quis, qualis, quantusue Norisius sit, tuus te docebit Macedo, qui in responsione ad notas nobilis Critici pag. 109 laudat. P. *Henricum Noris in scholis Theologicis, & Ecclesiasticis spacijs versatissimum, qui spes Ordinis altera & Vrbis, magno successit Onuphrio, & nuper insigni edito de Historia Pelagiana volumine, ingentem sibi gloriam comparauit*. Tu verò, Hausene, cuias es?

Trin. 4. 2. *Sed enim tu qui sis, qui non sis, floccum non interdum:*
152. *Ego te non noui: neque nouisse adeò volo.*
Men. 2. 2. Videris sanè ipse sub Hauseni cassidae latens Macedo; eadem
22. enim verba pari stylo contexta, eadem philautia inflata, crepas. Eho quæso ipsusne es? Profectò Macedonis oculi, aures, manus, opinio, transfugere ad te; & idem potis es dicere:

Stic. 5. 4. 49. *Ego tu sum: tu es ego, vnanimi sumus:*
Bacch. Prol. *Non minus similes, quam lacti lac si conferas;*

Cum Macedones ab Alexandro in Asiam ducti, Syria occupata, cognationes cum prouincialibus miscuissent, Syro Macedones dicti sunt. Hinc cum, Hausene, vel ipsissimus Macedo sis, vel eumdem Macedonis animum indueris, Hause Macedo nuncupaberis, nouusquè mihi eris *Miles Mace-*
Pseud. 1. 1. *donicus*, qui tanto strepitu Macedonem defensurus in Arenam
49. descendis.

Auctores, inquis, habuit hæc grammmaticalis opinio nouos quosdam sciolos, superbos, a quibus eam acceptam, Noris amplificauit, sed infelicissimè.

RO-

Rosuueydus doctissimus Iesuita antè Norisium idem docuerat, quem Macedo vocat *auctorem eruditissimum, & elegantissimum* pag 150. commentationis Polemicæ. Non est animus Grammaticam illam quæstionem retractare, cum non mediocris prudentes quosque stupor ceperit, Macedum; ac Norisium Sacræ Theologiæ, ac grauiorum disciplinarum consultos, ad puerorum gymnasia descendisse, ac de nominis masculini terminatione, nempè, vt in veteri paroemia est, de Parni scaphula tãtis clamoribus secum inuicem litigasse. In quo quidem Macedo grauius peccauit, qui viro, quem in eo opere *doctissimum, eruditissimum, ac amicissimum* appellat, grammaticæ imperitiæ notam in indice præsertim inussit. At Norisius in Aduentoria hominis iactantiam non minus eruditè, quam facetè repressit. Qui tamen si me consuluisset, neutiquam in viles adeò tricas titiuilitione quidem dignas se coniecisset. Quare missa faciam quæ, insulsissime castigator, de nominum terminationibus garris, & exempla asini, & muli quæ memoras ad Asinarios, & Muliones remitto, in quorum grege longè plausibilius tuderes, quam cum in Scriptorum choro quatuor pagellas sexcentis ineptijs conspurcasti.

Deinde, inquis, longè recentius est illud exemplum de Ramo Vrsulæ, vbi obiter animaduerto doctiores legere Ramon idest Ramoniæ, *nec obstat Lazius in quo passim occurrunt menda.* Pag. 4.

Dic, amabo te, vbinam gentium tui isti *doctores* degunt, Potin es cuipiam dicere?

Testem te testor mihi. Rud. 5. 2.

Lazius, Gruterus, Scaliger *Ramus Vrsulæ* legunt. Vel mortuum vnum *doctiorum* appellato, qui ante te legerit *Ramoniæ*, & eris mihi magnus Apollo.

Imò, inquis ad præsentem ætatem deducit Noris hanc consuetudinem. Ecce in suo quod primum edidit, epigrammate, vtinam sit v timum, quod est huiusmodi, & recitatis versibus addis. *Amphiona posuit pro Amphion, seruata illa solemni regula, quam sanctam esse vult, &c.* Ibid.

Errorem, qui irrepserat, inter menda, ad calcem opusculi

lì correxit, vti etiam videre poteris in eiusdem operis editione Patauina, Louaniensi, ac Rotomagensi, vbi in ipsius epigrammatis contextu mendum nullum est. Verum nè illud esset vltimum epigramma, Macedo fecit; siquidem cum hic in ridiculo æquè ac petulanti libello de Pentethronica pugna ad Turrim Asinellorum, epigramma quoddam, quod homo sui iactantissimus singulare nuncupauit, publicasset; Norisius alterum eidem epigramma reposuit, scribens.

Norisio dum bella Senex Acheronticus infert,
Emathiasque acies, Marte furente ciet.

Alia quatuor Carmina consultò omitto, quod noster ciuis in literis ad Ioannem Baptistam a Monte nobilem Veronensem scripsit. *Io molto mi marauiglio della poca prudenza del Padre Macedo nell'abbassare i riueriti nomi de' Prencipi à coteste sue faldonate.*

Hoc itaque epigramma de duello postremum, quod sciam, Norisius composuit. Et quidem ipse Macedo vltimum ferè omnium epigramma, vt meus inquit Plautus, *de arte duel-*
Epid. 3. 4. 14. *lica* recitauit, cum in Patauina cathedra, non quidem virum in virum, seu feminam, vti idem Ferrario, Norisio, ac Sparauierio obiectat, commutauit; sed cum virum fortissimum cum bellicosissimo comparauit. Illud pentametrum carmen Macedi:

Sanguineæ maculæ signa pudoris erant:

Vltima penè cantio fuit, qua cornix rauco ob senium cantu perstrepuit. Et cum comparationes odiosæ vulgò dicantur, Macedo easdem longè suo capiti periculosiores expertus est. Sed hanc iterum chordam tentabo.

Pag. 5. *Noris*, inquis, *P. Noris nobiles nostri æui antiquarios arbitrari tres Constantio II. fuisse liberos duos masculos, vnam feminam, quod non probo.*

In cimelijs vetusta tantum numismata seruantur Valentiniani tertij, eiusque sororis Honoriæ. Huius rarissimum nummum ex scrinijs Lazarorum Comitum laudat Norisius in appendice ad historiam Pelagianam. Nullus antiquarius Honorij masculi eorumdem fratris numisma hucusque exhibuit.

buit, non Angelonus, non Seguinus, non Tristanus, non Spanhemius, non Patinus, non Occo, qui de Imperatorum numismatibus scripsere., Antiquarij vnum Valentinianum Constantij filium masculum laudant. An tu fortè, Macedo, Senex octogenarie, antiquariorum nomine venis? At

Quid tu mihi testis. Pœnul. 3. 4.

Ego, vt ingenuè fatear, malo affirmare mendum in Prosperi 12.
codicem irrepsisse, quam ad P. Norisij sententiam accedere.

Hæc opinio, inquit, *currit inter eius familiares, qui etiam* Pag. 5.
ponunt nomen vnius viri pro altero, nec immeritò, cum facilius sit viri cum viro, quam viri cum femina nomen mutare. Postea clarissimos viros Octauium Ferrarium, ac Sparauerium irridet.

Hic Macedo sublata casside se prodit. Quis enim alius ab eodem, celeberrimum virum Octauium Ferrarium aliud agentem, hisce tricis immiscuisset? Vir eximius, & bonarum artium lumen ac columen, per summam impudentiam arguitur, cuius tamen causam egit doctissimus Sparauerius in responsione ad Mantissam. Vnus Macedo virum in virum mutauit. Hæc scribit pag. 61 ad notas Critici: *Vbi Grotius? vbi Salmasius, & inumeri Scaligero vel pares, vel superiores? Petauium ei vnum Religiosum obycio, qui eum exercuit, vt ille Cardanum* Vah supinam Macedi ignorantiam! Iulium Cæsarem Scaligerum, qui contra Hieronymum Cardanum exercitationes scripsit, mutat in Iosephum Scaligerum, contra quem Petauius acerrimè decertauit.

Pol planum id quidem est Capt. 3. 4.
Non nouisse, qui istunc appelles Tyndarum pro Philocrate. 32.
Vbique scribis Norisium per indices tantum studere, cum tu auctores in fonte legas. Mehercule hac vice Scaligeros nec in fonte, nec in frontispicio vidisti. Octauo postea mense, eruditorum cachinnis contusus, amicorum literis admonitus, vix errorem cognouit, & lacero Mantissæ mantello occulere conatus, erroris Typographum incusauit, qui tamen Latinæ linguæ magis peritus, quam Macedo historiæ, adeò

exa-

exactè Grammaticas leges seruans , impressit , *qui eum exercuit* , *vt ille Cardanum* . Ad te redeo Octaui vir clarissime , & incomparabilis . Video te ob familiaritatem cum nostris Norisio , & Sparauerio , ab Sene Lusitano cucullato non modo in inuidiam , verum etiam in crimen , per detestabilem temeritatem vocari . Quæ aut quanta sit tua cum duobus illis nostris ciuibus familiaritas , nescio. Hoc vnum scio , è re tua esse , à nocitura tibi familiaritate discedere, ne cum breui *Sparauerius Rafrery, plumis vestitus* (feruet aqua in cacabo) *deplumabitur*, tu quoque tuis sparsis in ventos pennis, pessimè excipiare . Vin tecum ex Plauto ludam? At serius homo es. Eugepe! semel per me rideas . Magne vir nostrorum ciuium.

Macedo in elencho librorum, quos parator iactat.

Amph. I. 2. 198.

Nescio quam familiaris sis ; nisi actutum hinc abis,
Familiaris accipiere, faxo haud familiariter.

Ibid.

Fateor tamen, inquit, *tria nomina posse inter se commutari, ita vt vnus pro alio sumatur, qui sunt hi tres, Frater Henricus Noris, Octauius Ferrarius, Franciscus Sparauerius, quia omnes tres vna manu scribunt, nempè Ferrarij: hic scribit pro alijs duobus.* Vox quidem, vox Iacob est, *siue Henrici Noris, siue Sparauerij, manus autem Esau scribentis Ferrarij, qui nouerit stylum huius, inueniet illum scripsisse libros Henrici Noris, & Francisci Sparaueri.*

Pænul. III 6.23.

Ha, ha, he, Qui ne tria quidem , vt aiunt , Stesicori nosti , audes de trium insignium scriptorum stylo pronunciare ? Vah nouum Lucilium , qui vt noster Plinius ad Vespasianum præfatur , *primus condidit styli nasum* . Excellentissime Doctor iuris bibundi scito tuum esse de cæpis , de placentis, de caseo , ac de vniuersa re culinaria , & exigua Cerere iudicare. Diuersi quidpiam in cacabo fortè fortuna notare feliciùs poteris,

Most. I. 3. 120.

Cum vna multa iura confundit cocus:

quàm scriptorum illorum, stylum discernere . Si Ferrarius vtrique nostro Scriptori suppetias tulisset , iamdiù phalanx Macedonica nulla esset . Audire mihi videor magnum illum virum inclamare.

Vos

Vos inter vos partite. Amphit.IV.
Quæso ne me incomities. Curc.III.

Norisius mutus, sparauerius elinguis foret, nisi vtrumque Ferrarius aureis eloquentiæ suæ radiis, non secus ac de Memnonis statua prodidere, vocalem redderet? Itane nostros Veronenses fungos, ac truncos putas, eosque teruncij, trioboli, & nihili ducis? *O cives cives*! Ipse ego contra te nec gru, nec gry balbutirem, nisi Orator Patauinus suam mihi vocem commodaret? Ac Mehercule Ferrarius quis ipse sim, nescit, nec tu vnquam noris, nisi Curc.V.2.27.

Malo herclè iam magno tuo. Asin.II.4.65.

Non tamen is sum, qui ausim de stylo trium illorum scriptorum iudicare; hoc scio esse viros eruditissimos, non tres, vt somnias, sed vt meus ait:

Cum senis manibus, genere Geryonaceo. Aulul.III.6.

Hi tres contra Norisium scripsere Frater Franciscus Macedo, Frater Archangelus à Parma, Frater Henricus Hausen, qui tamen vnus sunt Macedo, nunc pleniùs, nunc remissiùs tibias inflans, Egregiè ex veteris comœdiæ additis.

— Verùm salsus Asinus
Via defessus, TRES scitè memorem
Fert: VNVM videtis; ore quid ferat speciem. In supp. ad Bacchid.

Doceamus, inquit, *igitur Norim in casu nostro proposito Albinum virum esse, non fœminam. In primis, quia omnia exemplaria Augustini, tum in hoc loco, tum in epist. 227. habent Albino, & in epist. Hieronymi 79. vbi ponuntur* Albinus, Apinianus, & Melania. *Deinde si Albina esset fœmina, non debuissent appellari fratres, vti arguit* Parma *in sua epistola obuia.* Pag.6.

Eadem potestate, qua viros in viros mutasti, iubere potes fœminam in virum transire. Hæc quæ cæteros hucusque latuere, tuam fatidicam sapientiam decent. Ceterum

Non potes probasse nugas. Aulul.V.2.19.

Adijcio inquis *coniecturam probabilem, quia inuenitur aliquando Pinianus, & Melania soli sine Albino, qua* Ibid.

 si

si esset fœmina socrus, non deesset, quia socrûs tenacissimæ sunt, & semper adhærent.

Memini me quondam legisse in actis Sanctæ Melaniæ editis à Lipomano, doctissimo nostræ Vrbis Episcopo, Albinam socrum in Palæstina substitisse, Piniano genero, ac Melania filia in Ægyptum nauigantibus. Et antea in Africa relicta Albina Tagaste, ijdem Hipponem se contulere. Vides, fis

Cistel.4. 1. 7. *Quid nuncias super anu?*

Et quidem ego modo ruri dego vicesimo ab vrbe lapide, mea socru Veronæ domesticam rem curante. Rideas ergo ridiculam coniecturam.

Ibid. *Gaudeo*, inquit, *quia Noris argumentatur ex indice, quia per indices studet, sed nihil proficiet. Nota fraudem illius: Profert vnum locum fauentem sibi, & subtrahit alium fauentem sententiæ P. Macedi; nam in indice librorum* Possidius *enumerans libros Augustini contra Pelagianistas scribit:* Contra Pelagium, & Celestinum de gratia Christi, & de peccato originali libri duo ad Pinianum Albinum, & Melaniam.

Fraudulentissime, Norisio fraudem obiectas? Noster ciuis in Aduentoria pag. 22. plenam illam Possidij narrationem recitat, eamque Aduersario in faciem illidit. Nota, Lector, quas hic præstigias, ac dolos concinnet,

Asin.2.2. 10 *Quam fraudem frausus sit.*

Disce ex eodem Possidio, non fuisse Albinum virum Ecclesiasticum, vti somnias, Pinianum verò laicum; nam numquam hunc alteri præposuisset.

Ibid *Vrgeo*, inquit, *Norim irrefragabili argumento. Iste Albinus nullo modo potest esse fœmina, sed necessario debet esse masculus; quia Augustinus non solet appellare*, fratres *personas laicas etiam publicas, & in dignitate constitutas, &c. At verò Augustinus appellat* fratres *Albinum, & Pinianum; non poterat autem appellare* Pinianum fratrem, *cum esset laicus, & maritus; ergo necesse erat, vt Albinus foret Ecclesiasticus. Hoc argumentum solui non potest. Maneat ergo conuictus Noris.*

Te

Te iudice, noster Noris ad incitas redactus est, & tuis cassibus tenetur.

—— —— Efferte huc scopas, simulque arundinem,
Vt operam omnem aranearum perdam, & texturam improbam, Stich. 2. 2.
Deijciamque earum omnes telas. Miseræ algebunt postea. 24.25.

Pinianus mortuo patre Melaniæ vxoris, coniugalis thori societate dimissa, Monachismum professus fuerat, vt ex actis Lipomani nostri constat, quod & Norisius te docuit pag. 19. Aduentoriæ. Porrò Augustinus Monachos appellabat *fratres*. Lego apud nostrum scriptorem lib. 1. Hist. Pelag. cap. 5. hanc Augustinianæ epistolæ inscriptionem. *Domino dilectissimo, & desideratissimo fratri Pelagio*. Erat Pelagius Monachus, & dicitur a Zosimo Papa *laicus* teste eodem Norisio ibidem cap. 12. quo nomine quicumque non erant clerici, quamuis Monachi, id temporis appellabantur, Rectè ergo Augustinus Pinianum Monachum fratrem dixit. Antequam Verona egrederer, quod hanc apologiam meditabar, legi epistolam Augustinianam 225. ad Albinam, vbi S. Doctor scribit. *Sancto FRATRI nostro filio tuo Piniano nullus ab Hipponensibus metus mortis ingressus est*. Et tu *qui in Augustino habitas*, qui es *in Augustino versatissimus*, *cum Noris sit negligentissimus* scribis de Augustino, *non poterat autem appellare Pinianum fratrem, cum esset laicus, & maritus*. At Augustinus scribit: *Sancto FRATRI Piniano*. Hausen macede.

Hiccine tu ergo habitas? Cist. 4. 2.
Hoccine est *irrefragabile argumentum, quo manet conuictus Noris?* an tu potius stupiditatæ in Augustino legendo negligentiæ conuinceris? Incipis postea de Albinis, ac Posthumijs differere, & quosdam Albinos nominare, quorum elenchum augere poteras ex historia Augusta, ex inscriptionibus legum vtriusque Codicis, ex libello de præfectis Vrbi, ex fastis consularibus, vt viderere eruditulus. Norisius, qui per indices studet, ex Glandorpio longè plures Albinos, & Posthumios momento recitasset. Et progrederis.

Pag.6. *Oblitus est tamen antiquiorem Melaniam, siue Melanciam, quod mirum est, cum reperiatur in vita S. Eugeniæ in fontibus Sanctorum, quos ille solet legere, non autem Auctores in fonte, sed quia ista Melancia non erat in indice illam non vidit, solitus per indices studere.*

Norisius in Aduentoria sermonem instituerat de Melanijs, auia nempe, & nepte. Extra chorum tuam Melanciam cecinisset. Si ob quamdam nominis similitudinem id necesse putas, idem poterat notare in meo Plauto nominari *Melanem*. Apagesis, vt cum eodem loquor, *Vani loquideride Nugi* postloquides cum tuis somnijs, quæ vigilans deliras. Interim Norisio etiam, atque etiam gratulor, qui indices solum legens, non autem Auctores in fonte, nuper insigni edito de Historia Pelagiana volumine ingentem sibi gloriam comparauit. Est Macedi confessio, non testimonium.

Gist.4.2.107.

Pag.7. *Vnde, inquit, fuit incautus Macedo homo candidus, qui permisit in indice facto ab alio poni imperitiam Noris, quo ille dicto extimulatus, farragines contumeliarum ferrea claua in Macedum congessit, non facturus, si hoc in indice non inuenisset.*

Rectè te hic de viri, & amici, & pacati modestia, ac ingenio diuinasse puto. Scribitur in indice Macedonij opusculi: *Noris imperitia Grammaticæ arguitur.* Hinc forte subiratus Aduentoriam vulgauit. Et quidem si hæc in indice non legisset, amicissimi Macedi reprehensionem æqui bonique forsitan consuluisset. Nam Macedo cap.11. pag.68. ait: *Pergit ire Noris*. Itaque Vincentius vrget, quinam sint illi, quos Cælestinus iubet, ne liberè loquantur *Corrigat Noris*; quibus iubet, *ne sit scribiligo, aut reponat:* liberè non loqui. *Preposterè ista concepit, & exarauit, propterea irrepsit mendum*. Hic iterum summus ille Grammatistes Norisij solæcismum emendat. His tamen noster ciuis nihil reposuit in Aduentoria, quod is error in indice nequaquam legebatur, cum tamen plausibiliùs, quam in nomine Albinus, Macedi inscitiam refellere potuisset. Didiceram olim puer ex Valla, Despauterio, & aliis Grammaticis, verbum.

bum iubeo iungi eleganter cum accusatiuo animato, coniunctiuo modo insequente. Vnus Plautus, quem solum ad manus habeo, id testatum faciet. In Menæchmis Act. 5. 5. 51. ait: *Tu seruas iube hunc ad me ferant*. Idem in Sticho Act. 2. 2. 51. *Iube famulos rem diuinam mihi apparent*. Hæc loca tam perspicua Macedo, qui auctores in fonte legit non vidit. Audebisne Plautinæ elegantiæ stribiliginem impingere? Explorare omnes Plauti editiones Lambini, Parei, Zuerij, Taubmani, Douzę, Camerarij, vbique non gratia metri, sed iuxta aureæ latinitatis regulas videbis Norisij phrasim Plautum auctorem habere. Macedo olim Iesuita in ludo pueros Grammaticam docuit, Rethoricam etiam Mantuæ Carpentorum professus, familiarem Plauto loquendi formulam ignorat, qui quatuor etiam comædias latinas scripsit, vt testatur in suo elencho.

Haccine te esse oblitum in ludo, qui fuisti tamdiu? Asin. 1. 3.

Haud tibi, Macede, gladiatoria voce insultabo, *da iugulum*, sed pædagogi Orbilii voce vsus, *te iubeo des manum*, vt 73.
pro imperitia Grammaticæ, quamuis octogenarius, puerorum more, pro duplici Plauti testimonio ignorato, bis verbereris.

Hic ille est senecta ætate qui factus est puer. Trin. 1. 2.
Cuculus si in ludum iret, potuisset fieri, vt probè literas 5.
sciret. Pers. 2. 2.

Veniamus inquit *tandem ad quæstionum, quis fuerit iste* 6.
Albinus. Noris ignorat, & Macedum iudicium suum suspendentem petulanter irridet. Inuentus omninò est Ecclesiasticus, non laicus. Est ille igitur, qui apud Augustinum ponitur Tom. 2. epist. 104. & 105. ad Sixtum, eratque perlator literarum Augustini, & Alipij, vt eisdem epistolis continetur, qui erat Acolythus familiarissimus Augustino, & Alipio. Pag. 7.

Non ignorat Norisius, quis fuerit primo loco nominatus in inscriptione libri Augustiniani de gratia Christi, nempè fuisse Albinam Piniani socrum, ac matrem iunioris Melanię. Tuus Macedo contendit fuisse virum Albinum, diuinatque fuisse, *aut auum, aut auunculum, aut patrem, aut socerum,*

aut

aut patruum Piniani . Non est hoc suspendere prudenter iudicium, sed per coniunctionem dubitatiuam plura per supinam ignorantiam affirmare, vt eruditissimè ostendit Noris in Aduentoria, demonstrans ex illius ætatis scriptoribus, nec auum, nec patrem, nec socerum, nec patruum Piniani eo *Albini* nomine intelligi posse. Rideo autem in stomacho, cum audio hunc hominem maximas nugantem nugas. Augustinus anno 411 ineunte, atque hyeme adhuc sæuiente scripsit epistolam Albino, Piniano, ac Melaniæ, quùm primum ijdem in Africam appulissent. Albinus erat, te authore, id temporis Ecclesiasticus; idem anno 418. cum literas Augustini Romam detulit erat Acolythus. Fortè cum Roma discessit erat Lector, aut Exorcista, vt tamdiù in minoribus ordinibus substiterit? Sed in hoc non moror. Nescisne Clericos ita fuisse alicui determinatæ Ecclesiæ antiquitus addictos, vt ab eadem nulla ratione diutius abesse potuerint? Hoc mihi ex epistolis Leonis Magni, ac Gregorij ostendit nuper noster Parochus plebanus, vir planè doctus, & pro modulo eruditus. Verum tu præ tua eruditione nunc tuum Clericum Albinum pleno decennio toto Orbe Romano cursitantem inducis.

Pag. 7. *Hæc est* inquit *vera de Albino sententia sine gyris, & ambagibus. Inuentus est apud Augustinum, in cuius lectione Macedo est versatissimus, cum Noris sit negligentissimus. Dormit cum Augustinum legit.*

Ha, ha, he. Non queo Mehercule risu me admoderarier: Quid ais te sine gyris hunc masculum Albinum inuenisse, cum miserum illum Clericum toto Decennio plusquam Vlyssis erroribus fatiges. Attende, & tuas trade aures in dictionem meam. Anno 408. Albinum Clericum Romæ in Campaniam educis, vt proximè ostendam, inde illum rapis in Siciliam. Anno 411. iubes illum cum Piniani comitatu in Africam nauigare. Dein eumdem in Aegyptum deducis. Postea sedem illi tribuis in Palæstina. Hinc te impellente in Africam redit. Denique cum literis Augustini, eumdem iubes (non est apud meum Plautum stribiligo), Romam nauiget. Itane sine giris inuenisti, quem semel,

semel, & iterum per Europam, bis per Africam, semel per Asiam delassas?

Nam maria, terras, montes atque insulas. *Prol.Bacc.*

longis, ac periculosis itineribus lustrat. Huic Albino per Romanum orbem peregrinationem iniungis, vt Macedum exscribam, *plenam laboris, plenam periculi, per ignotas gentes, asperas regiones, auia itinera, abstrusa vallium, prærupta rupium, insidiosa loca, & aliena* Clerico Romano *tempora*. Progrederis *Inuentus est apud Augustinum, in cuius lectione Macedo est versatissimus*. Tace. Hausene tunc ipsus es Macedo, an ab eo planè diuersus? si Macedo es, cur anno elapso de Albino dicebas *latet*, modò verò clamitas; *inuentus est apud Augustinum*? cum scribebas, *latet*, erasne *versatissimus* in Augustino; an cum illum legebas, tu pol dormitabas? *Comment. 1. Polem.pag. 54.*

At etiam cubat cuculus. *Asin.5.2.76.*

Anno postea euoluto vigilas, & Albinum, obstetricante ingenio, parturis. Felicius ranæ suos gerynos pariunt. At dic, amabo te, quid in Augustino inuenisti? Albinum quemdam Acolythum semel detulisse literas Augustini ad Sixtum Ecclesiæ Romanæ præsbyterum. Cœtera tibi fingis ac pingis bellissumè.

Hic quasi poeta tabulas cum cœpit sibi, *Pseud. 1.4.8.*
Quærit quod nusquam est gentium, reperit tamen.
Facit illud verisimile, quod mendacium est.

At si alius à Macedo homo es, videris mihi in Augustino legendo *versatissimo* ipso versatior; inuenis enim Albinum apud S. Doctorem, qui Macedum *latet*. Adesis lector. Macedo meras nugas loquebatur, scribens Albinum fuisse *aut auum aut patruum, aut socerum, aut patrem, Viniani*. Hic testatur ex Augustino Albinum fuisse Clericum *Acolythum*. Igitur hic minùs in Augustino hospes est.

Nam ad sapientiam huius ille nimius nugator fuit. *Capt.2.2.25.*

Pandite interim Helicona Deæ, nam inuectiua in tumidum & militarē panegyricum vertitur. *Ibid.*

Noris dormit, inquit, *cum Augustinum legit*, alter *Dormitantius Hieronymi, ad quem excitandum à somno opus fuit.*

fuit P. *Macedo pulsare tympanum, vt illum expergefaceret.*

Edepol tuus Macedo fuit alter Dormitantius, dum Albinum in Augustino neutiquam videns, dicebat, *latet;* Tu verò Vigilantius Albinum masculum, Ecclesiasticum, Acolythum in Augustino vidisti,

Aul I.1.2. *Circumspectator cum oculis emissitys.*

Næ tu tympanum pulsasti, vt Macedum in Augustino dormitantem excitares, eique inuentum abste Albinum ostenderes? Nam eidem somnianti Albinum fuisse *aut auum, aut patrem, aut patruum, aut socerum* pulsato tympano dixisti.

Amph.II. *Quid ais? Num obdormiuisti dudum?*

Edepol verò si Macedo digitulo scalpat caput, quippini numero tympanum pulset, est enim vir ille *publica famæ tympanum*, vt noster conteraneus Plinius de Appione Grammatico dixit. Mehercule illo homine *gloriarum pleniorem*, vt ait noster Comicus, vidi neminem. Vix Macedo loquitur cum statim tympanum pulsat.

Mil.I.1.22.

Amph.V.1.10. *Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus: vt subitò, vt properè, vt validè tonuit!*

Gladius, inquit, *Macedi Achilleus est, non stringitur in Thersites, sed in Hectords. Strenuus est, & proprys armis vtitur, non mutuatis, sicuti Patroclus, neque ferreis commutatis, sicut Glaucus, neque somnia iactat pro victoria, qualis Pirgopolinices, qui somniabat se vincere Macedones, & stertebat ingentibus ronchis.*

Voces Macedonis audio: Præfiscine hic tanta crepat? Quam bellè in suis armis accissat! Hoc Achillis gladio concenturiasti mihimet metum in corde.

Capt.IV.2.22 *Quid hic homo incipissit facere cum tantis minis?*
Decedam ego illi de via, de semita.

Trin.II.4.80. *De honore populi.*

Quæso te cum nescio qui gladiatores Patauij ad pontem D. Laurentij Macedoni occurrerunt, vt cum eodem rudibus batuerent, cur gladius Achillis in vagina dormiuit? Tunc Scipio non quidem Anibalem, sed Achillem in fugam compulit.

Hicci-




SCOTI ASSERTOR ET VIND

Hiccine est, qui fuit quondam fortis.
Vbi, vbi est? bellator vale.

Addis: *strenuus est, & proprys armis vtitur, non mutuatis, sicuti Patroclus; neque ferreis commutatis, sicuti Glaucus.* Poteras compendio ex Plauto *magnum Macedonem minorem* hæc crepantem producere:

Egomet mihi comes calator; equus, agaso, armiger, Merc.V.2.11.
Egomet sum mihi Imperator.

Præterea: *neque enim somnia iactat pro victoria, qualia Pyrgopolinices.* Item; *Macedo non est Horratas, qui vincatur à Dioxippo.* Scio illum, illum in pugna Patauina ad Macedi Pyrgopolinicem exhibuisse, qui cum arma, & victorias iactaret à seruis Peridctomenis fustibus contusus, clamabat: *Ah hei! sum satis verberatus. Obsecro.* Scribit Curtius Dioxippum non gladio, aut telo, sed nodoso fuste Horratam prostrasse. Tace si sapis, & nouum Horratam ad furcas Caudinas armis vlmeis victum, ac sub iugum missum fatere. In milite.

Omnes, inquis, *eum comparant in literis Alexandro Magno in armis, & in scientia Augustino, à quo nunquam recedit, cum N. ris Augustinianus ab illo sæpe discordet.* Ibid.

Amice; hic nimium tibias inflas. Ne te fugiat illa Alexandri Imperatoris sententia apud Lampridium: *Hæc nomina insignia onerosa sunt.* Tuus Macedo magni Augustini vmbram tantùm iactare potest, & sine honore nomen. Subit hic mentem res satis ridicula. Prodiit Patauij tomus prior Collationum Theologicarum Macedi, in cuius frontispicio Macedi effigies, ære perenni ducta, visitur. Sedet homo in cathedra, Augustino dextrorsum, Scoto verò sinistrorsum, & quidem in inferiori subsellio, auditoribus, vt planè Macedo magister, Augustinus, ac Scotus eiusdem discipuli esse videantur; quamuis ibidem inscribatur *Augustini discipulus, & interpres.* Addito carmine cum hemistichio.

Disce legens virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex alys.

Vah quantum hic homo laborauit? *Libros edidit qua-*

draginta quatuor, scripsit panegyricos quinquaginta treto
Macedo in calce lib. de Amicitia edito hoc anno Patauij. *orationes latinas sexaginta, epitaphia centum quinque, ele-*
gias quingentas, Odas centum decem, epistolas dedicatorias
ducentas duodecim, familiares quingentas, poemata epica
iusta bis mille sexcenta, carmina centum quinquaginta mil-
lia, vt Hippocrenem penè exsicauerit, Musarum deliciæ,
Parnassi decus, Lusitanus Maro.

At tu edepol sume laciniam, atque absterge sudorem tibi.
Merc l.2.16 Edidit nuperrimè, nempè die 29. Septembris huius Anni
1675 Panegyricum Italico scriptum cum Titulo; Panegi-
rico sagro del Serafico Padre S. Francesco per recitarsi nel
giorno festiuo de suoi Natalitij, &c. dal Reuerendissimo P.
P. Francesco da S. Agostino Macedo &c. Eiusdem Panegy-
rici Fragmentum huic opellæ Assuam, vt singuli quique
ibi legentes, hominis, qui tot Annis publicè Rhetoricem
docuit, virtutem, verumque laborem perdiscant.

MEntre tutti due garreggiano nel patire l'vno nella Craticola, l'altro nella Croce; Parmi che voi Signori come acuti, e critici v'ingegnate à farmi vn Argomento contro la conformità delli medesimi Lorenzo, e Francesco dicendo così, Padre mio concordate vna discrepanza che pare impossibile à confrontarsi. Lorenzo è Spagnolo, e Francesco d'altra natione, cioè Italiano. Come dunque concordano? Potrei ben rispondere che io non tratto di conuenienza di natura, nè di natione. Ma di concordanza delle Virtù, e gratie. Apporto vn'Argomento nuouo in contrario per li Francesi; imperciòche Francesco secondo la sua Leggenda si chiama Francesco per hauer imparato presto, e quasi miracolosamente la lingua Francese. Nondimeno affermo che Francesco può esser Spagnolo. E rispondo che conuiene à Francesco esser Spagnolo per quattro giustissime raggioni Prima per il sito della Spagna oue si pone, e muore il Sole, figura di Christo crocefisso in cui è trasformato Francesco stimatizzato Il Ponente è proprio di Francesco sempre contrario al Leuante; Leuita sì, Leuante nò; Cadente per humiltà sen-

za l'alterigia di Leuante. Seconda per la diuotione della natione Spagnola verso Francesco, e suo Ordine Francescano. Terza perche la Spagna hà trouato il modo di far grandi i Minori di Francesco, facendo Grandi di Spagna i loro Generali. Quarta perche i Generali successori di Francesco Osseruanti di certo tempo in quà sono sempre Spagnoli, ò Vassalli di Spagna. Queste raggioni conuincano l'esser Francesco Spagnuolo simile à Lorenzo. All'Argomento nuouo della lingua Francese rispondo che Francesco ritrouò nelli suoi Thesori de' Frati poueri vna lingua pretiosissima, gioia inestimabile Spagnola, cioè la lingua immortale del Santo, che parlaua tutte le lingue, essendo vna, e sola Portoghese, era vn Thesoro di tutte, perche parlaua in tutte le lingue, & era inteso in tutte le nationi. Vengo però alla principal raggione Signori, ed è la seguente. Ascoltatemi attenti.

Essendo nella Chiesa militante molti Capitani, e condottieri di militia, e Soldatesca spirituale instituita contro i trè nemici dell'Huomo, Mondo, Demonio, e Carne; non vi è Esercito più forte, e numeroso, che quello del glorioso Capitano, e condottiere Francesco. Questi lo gouerna al modo Spagnolo. Trà tutti gli altri Condottieri egli solo guerreggia in guisa di Spagnuolo, e forma esercito de' Soldati Spagnoli. Gli altri Condottieri prattìcano diuerse militie, e de diferenti nationi, ma Francesco professa la militia Spagnuola. Penetrate la ragione; La militia Francese pone la sua forza principale nella Caualleria, l'Italiana nell'vnione di Caualli, e Fanti, la Spagnuola fà il suo Capitale de Fanti, e Fanteria, e schiera i Pedoni nella Campagna, e costoro sono i nerui del suo esercito: per mezzo loro hà atterriti, & atterra i potentissimi Rè, e fortissimi Capitani, e numerosissimi Eserciti; Questa è la militia di Francesco tutta Fanteria senza Fantasia, tutta de Pedoni; schiera fanti pedestri, guerreggia à piedi, e vince; Schierate Signori l'altre militie: in tutte ritrouarete Caualli, Caualieri, Carri, e Carrozze, ò siano Benedittini, ò Domenicani, ò Augustiniani, ò

Carmelitani, e con loro tutti i Chierici Regolari, solo i Francescani tutti sono fanti senza Caualli, nè Caualliери *non debent equitare* per regola per istituto: Tutta la militia è Fanteria, non vi trouerete vn Cauallo, nè Carrozze, nè Caualieri; e dunque Francesco condottiere Spagnuolo, & i suoi Religiosi fanti nella militia di Fanteria, e quindi si conchiude, ch'è simile à Lorenzo veramente Spagnolo.

Habbiamo Signori concordati Lorenzo, e Francesco. Resta fare la combinatione delle Moniche con S. Lorenzo, e S. Francesco acciò resti compita la confrontatione, quale è pur difficile, e non volgare. Se io fusse Filosofo nominale me ne spedirei con dire, che le Moniche si chiamano di San Lorenzo, e rimetterei la proua al nome: ma io sono de Reali, & ancora che fusse de Nominali non haueria sodisfatto all'argomento; perche le Moniche di San Lorenzo non hanno niente, comune nè di nome, nè di cognome con San Francesco, e voi mi dimandate la confrontatione di tutti due. Io mi trouo inchiodato, & inuiluppato. Procurerò ingegnarmi in maniera, che mi suiluppi, e vi sodisfaccia. Primieramente S. Lorenzo è Sole Pianeta di fuoco, & il Sole produce le Stelle, tali sono le Moniche di questo illustre Conuento, dico il vero colla Chiesa che hoggidi canta, *omnia in luce clarescunt*: tutto in Lorenzo è chiaro. Dunque è Sole, e quindi è che produce le stelle, & ancor che patisca il fuoco, genera facelle che splendono, e sono lumi. Di più il Sole è viuo fuoco, e fuochi le stelle, sempre stelle, e sempre lumi; ma nega il sto essere loro facelle, esser stelle, perche sono in Venetia, sono in Acqua, che non confronta col fuoco, anzi incontra il fuoco. Sono pure le monache stille d'Acqua, non stelle di fuoco. Non hauete raggione. Il firmamento centro delle stelle stà in mezzo dell'Acque nel Cielo, *Aqua super firmamentum*, *Aquæ sub firmamento*; adunque il loro proprio delle stelle è tra le Acque, e le stille sono stelle, e suanisce il vostro Argomento, e diuentano le moniche vere figlie di San Lorenzo, & ancora proprie di Francesco, perciochè essendo facelle, e stelle sono chiare,

e simili

e ſimili a S. Chiara figlia di S. Franceſco. Per altre raggioni ancora concordano le Moniche con Lorenzo, cioè perche essendo Lorenzo nome deriuato dall'Alloro, e Laurentio di Lauro ſimbolo di Palma, e di Vittoria ſignifica il vantaggio, che hà queſto Monaſterio ſopra tutti gl'altri, trà i quali ſi porta il vanto, e la palma come vittorioſo, e principale. E già che Lorenzo è fuoco, queſto Conuento è la Fenice de Conuenti, concorrendo Franceſco che contribuiſce la cenere del ſuo habito per compir la produttione della Fenice. Quindi è che le Moniche noſtre reſtano proprie di San Lorenzo, e di S. Franceſco. Io però non ardiſco d'arrogarmi tanto, che chiami le Moniche di S. Lorenzo Moniche di San Franceſco, perche Franceſco è pouero, è nulla, è niente, è Padre dé Minori, titoli meno conuenenoli a Gentildonne Venetiane, tanto ſuperiori per il ſangue, per le doti d'anima, e di corpo, e di fortuna. Reſtino dunque Moniche di San Lorenzo, e chiamiſi Franceſco S. Franceſco delle Moniche di San Lorenzo come minore, e ſeruo di queſto Conuento. Profeſſandoſi i ſuoi figli frati minori; minori per ſeruirle, per obbedirle, e riuerirle, per oſſequiarle come Padrone, riconoſcendoſi minori per l'humiltà, e per l'obedienza oſſeruanti, e giuſtamente minori oſſeruanti. Tutto a gloria di S. Lorenzo. Hò detto.

Quam Orationem hanc aures dulcem deuorant! Plaut. in Pen 5.2.9.

Ne tamen vllum fortunæ conuicium ingeras. Si talis es in literis, qualis Alexander in armis, & par ſcientia Auguſtino, feliciſſimum te reputes velim;

Nam ſapiens equidem pol ipſe fingit fortunam ſibi. Trin. 2.2.84.

Cum tuam illam imaginem contemplor, non poſſum quin exclamem.

O Apella, ô Zeuſis pictor; Pœnul. 5.4.101.
Cur numero eſtis mortui hinc vt exemplum pingeretis.
Nã alios pictores nil moror huiuſmodi tractare exẽpla.

At cum tuam in ſcribendo petulantiam conſidero, quam duos viros eruditos, qui non modò bibliothecas, & calamos, verum etiam ſeruos, ac ſeruilia ſcepara domi habent, tanquam Noriſij familiares, tam audacter, tam in

ſolen-

solenter, tam protaciter prouocas, laceras, denigras, vereor, ne magno tuo malo is quandoque fias,

Epid. 5. 1. 30.

Quem Apelles, & Zeuxis duo pingant pigmentis vlmeis.

Hic par Augustino in scientia scripsit opusculum de Azymo hic Veronæ typis vulgatum, quod in frontispicio dicitur concinnatum authore,

PATRE FRATRE FRANCISCO, 1. A S. AVGVSTINO MACEDO, 2. MINORE OBSERVANTE LVSITANO, 3. MAGISTRO CONIMBRICENSI, 4. LECTORE SVI ORDINIS IVBILATO, 5. PROFESSORE PVBLICO PATAVINO, 6. EX LECTORE REGIO MADRITI, 7. PONTIFICIO ROMÆ IN COLLEGIO DE PROPAGANDA FIDE, 8. ET IN ALMA SAPIENTIA,

1. Magni nominis Vmbra.

Antea Iesuita per annos 22.

2.

3. In diebus illis.

4. Ex gratia speciali.

5. Sæpius recitat ex Poliantea.

6. Postea contra Regem scripsit.

7. Hoc munere priuatus fuit ab Alexandro VII. & in publicum carcerem detrusus.

8. Item priuatus.

TIA, 9. EXQVALIFICATORE SANCTI OFFICII ROMANI, 10. CONCIONATORE, 11. ET CONSILIARIO REGIS CHRISTIANISSIMI, 12. ET SERENISSIMI LVSITANIÆ REGIS HISTORIOGRAFO LATINO, 13, VENETO CIVE, 14. ETC.

9. Item priuatus.

10. Qualis in Panegirico Italico de S. Francisco nuper Patauij edito.

11. Numquam in consilium vocatus.

12. Petit stipendium, vt inchoet historiam.

13. Rara gratia.

14. Magnus et Ardelio.

Heu here'e nomen multis modis scriptum est tuum. Pers. 4.6.24.
Si tamen cathedram Patauinam, & ius Venetæ Ciuitatis excipias, sunt tituli expuncti, & fumosa lapidis sepulchralis inscriptio.

Hic qualis Imperator, nunc priuatus est. Capt. 1.2.63.
Postea ab Achille, & Alexandro Magno transit ad melanias, & Pinianum. Adesis Lector, nam fabulas lepidissimas nectit.

Teneamus, inquit, *hunc Albinum in Augustino expressum, hunc ergo dico esse Albinum, de quo queritur. Euoluamus historiam. Constat melaniam seniorem venisse in Africam Roma, cum iuniore melania nepte, & Albina nuru, & Piniano marito neptis, & cum filio marito Albinæ. Cum his etiam venit Albinus iste consanguineus Albinæ. Itaque multi erant in Comitatu. In Africa inuiserunt Au-* Pag. 7.

gusti-

gustinum, & cum eo amicitiam contraxerunt. Morantibus in Africa mortuus fuit filius melaniae senioris, &c. Hae omnia sumuntur ex Palladio in historia Lausiaca, ex actis melaniae iunioris apud Metaphrastem, & Surium.

Libros citas, quos ruri non habeo. Ex Aduentoria tamen Noris eorumdem testimonia producam, queis tua somnia refellam. Palladius in Lausiaca cap. 118. scribit Melaniam seniorem ex Oriente in Italiam transmisisse, *cum de statu neptis audisset, & eam nupsisse*. Venit illa Romam Siricio Romanam cathedram sedente. Itaque circa annum 397. Hæc ex literis Hieronymi, ex Apologijs ostendit Norisius pag. 19. Aduentoriæ. Itaque anno 397. melania Piniano iuncta erat; nuptias autem conciliarat annos nata quatuordecim. Hoc testantur Acta S. Melaniæ. Post paucos annos *è viuis excedit Melaniæ pater*, ita in actis legitur pag. 18. Aduentoriæ laudatis. Erat id temporis Piniano ætas vigintiquatuor annorum, Melaniæ autem viginti. Ex eisdem actis pag. 19. citatis, vbi expressè asseritur, Melaniam iuniorem, mortuo demum patre, Roma discessisse. Erras igitur dum scribis Melaniam seniorem venisse in Africam *cum filio marito Albinæ*, vnaque cum Piniano, & nepte. Præterea Rufinus testis oculatus, in epistola adducta à Norisio ibidem pag. 13. scribit se vna cum Piniano, eiusque *religioso cætu* fuisse in Sicilia, cum Alaricus Rhegium in Calabria incenderet. Anno 410. Rex ille capta Roma, Italiam vsque ad fretum Siculum deuastauit. Quare anno 410. Pinianus cum *religioso cætu* nondum in Africam nauigauerat. In hoc comitatu tu numeras filium melaniæ senioris, maritum Albinæ, vnde fit consequens, vt ab anno 397. quo ipsius filia iunior Melania iuncta erat Piniano, ad annum 410. superstes fuerit; cum tamen anno sexto à celebratis filiæ nuptiis cum Piniano, excesserit. At at ille mortuum recenset in comitatu Piniani. Ego quidem in actis Melaniæ ex tuo comitatu

M. st. 4. 3. 9. *Vnum vidi mortuum efferri foras.*
Ibid. 2. 2. 59. Fortè respondebit, *Venisse illum in somnis ad te mortuum.*

Addis

Addis verò: *Cum his etiam venit Albinus iste consanguineus Albinæ.* Quis tibi hæc Vulcanus vaticinatus est? Nullus scriptor hunc tuum Albinum virum Ecclesiasticum in comitatu Piniani recensuit. Vnum testem antiquum nominato, & toti tuæ rei vestiariæ optimè consulam; nam.

Soccos, tunicam, pallium tibi dabo. *Epid. V. 2. 60.*

Relege acta Melaniæ, euolue Palladij Lausiacam, Augustini, Hieronymi, Rufini libros consule, veteres omnes schedas excute, nunquam hunc nouum comitem inuenies.

— *Nec vobis auctor vllus est, nec vosmet estis vlli.* *Curc. IV. 3. 12.*

Cum Parisios iuuenis me contulissem mirabar Cartesij sectatores ex illa thesi: *Ego cogito* inferre maxima, & nobilissima dogmata philosophica. Video te Cartesianum esse, dum scribis, ego cogito Albinum Acolythum inter comites Piniani, ac Melaniæ fuisse, ex qua postea imaginatione historias bellas deducis.

an mos est ita hic, *Menæch. V. 1. 24.*

Peregrino vt aduenienti narrent fabulas?

Probatur, inquit, *coniecturis, nam Albinus rediit in Africam, vbi iam fuerat cum Melaniis, & ibi nouerat Augustinum, & Alipium, quos ambos visitauit, & quorum literas portauit Romam.* *Pag. 8.*

Te tantum auctore, ille Acolythus Albinus fuerat cum Melanijs in Africa. Huic tam bellissimæ fabulæ totius tuæ defensionis structuram imponis.

Specimen cernitur, quo eueniat ædificatio. *Most. I. 2. 52.*

Non est igitur, inquis, *laborandum amplius de Albino Habemus eum præsentem in Augustino, inter comites Melaniæ, nihil obstat in Historia, igitur ille retinendus.* *Ibid.*

Augustinus audito Piniani in Africam aduentu, scripsit epist. 237. cum epigraphe: *Albino Piniano, & Melaniæ.* Ita Possidius in indice epistolarum S. Doctoris in Aduentoria pag. 22. Tres illi tantùm memorantur in actis Melaniæ, pag. 23 & in Lausiaca Palladij. Acolythum vnus tu somnias in comitatu; quæ quidem cum in literas mittis, haud potis es dicere:

Historiam veterem, atque antiquam hæc mea senectus sustinet. *Trin. II. 2. 100.*

D cum

cum præsertim longas peregrinationes misero Acolytho imponas, vt vnus, idemque Albinus credatur. Quascumque historias perlustro, quacumque per Romanum orbem oculos circumflecto, nec vnum peregrinantis Acolythi tui Albini vestigium noto, sed tantùm.

Cist IV. 2. 26. *Hac socci video vestigium in puluere.*

Dic, amabo te Hausen macede, Laresne viales tuo Acolytho propitios inuocasti, antequam eumdem in longissimum, qua Mediterraneum Romanas Prouincias alluit, curriculum conijceres? Vt tanta credamus, haud satis est, nihil in historia obstare, sed necessum est, ea quæ narras, aliquem historicum vetustum auctorem habere. Nihil obstat Macedum puerum antequam ætatis anno 14. Iesuitarum sodalitio nomen daret, cum Lusitana classe in Indiam nauigasse. Igitur hoc de eodem posteritas credet. Quod non obstat, potuit quidem fieri, at num reapse contigerit, annales, & historiæ, docent, in quibus peregrinantis Acolythi tui Albini nec literula continetur.

Ibid. *Oportet*, inquit, *ingenio vti ad extricandas difficultates, quæ occurrunt in historijs, & retinendæ sunt lectiones Patrum, vti scribuntur. Nam si inuenimus nomen Albini masculum toties repetitum apud Augustinum, & Hieronymum, quare mutare debemus in fœminam?*

Dum Albinæ maritum ante plures annos mortuum, ponis anno 411. in comitatu Piniani, tuo te ingenio vti non ibo inficias. At meliùs tibi consuluisses, si oculis potiùs in legendis actis S. Melaniæ vsus fuisses. Quod addis de nomine Albini, malo cum Baronio textum corrigere, quàm cum nostro ciue terminationem masculinam nomini *Albinæ* fœminæ concedere. Si M SS. veterum copiam Veronæ haberemus, sperarem fore vt in emendatioribus codicibus Albinæ nomen fœminina terminatione elatum inuenirem. Et quidem P. Noris in epistóla ad ornatissimum, & eruditissimum Angelum Fioratum scripsit, se in duobus M SS. Mediceis inuenisse apud Hieronymum legi *Albina Apinianus, & Melania salutant vos*. Nec arbitror eumdem molestè laturum, à me isthæc publicari, cum ipsemet scribat, nemi-

nem

rem in amore veritati præponendum esse. *Ibid.*

Sed isti, inquit, *homines dorsuales, qui habent ingenium in dorso, propterea agunt, & mutant rectas significationes, & incurrunt illam maledictionem Dei*. Quoniam pones eos dorsum, *idest dorsuales, & baiulos portantes libros sicut onera, non intelligentes quid contineant libri, contenti sola historia, more Hebreorum, ad quos pertinet ista maledictio, sunt enim sportularij, & baiuli scripturarum, &c.*

Repetis Hansen macede., quæ dudum Macedo dixerat in Præfatione. Itaque noster Noris, te iudice, est ex ijs,

Qui incedunt sufferrcinati cum libris, cum sportulis, *Curc.II.3.10.*

& vt ais, *habent ingenium in dorso*. Quæso te, cum scripsisti, Pinianum non potuisse dici *fratrem* ab Augustino, cum tamen secus in Augustino legatur, cum dixisti: *Evoluamus historias*, & affirmasti maritum Albinæ, iunioris Melaniæ patrem anno 411. per Orbem peregrinasse, qui tamen in actis, quæ laudas, diù antea mortuus asseritur, cum Macedo Scaligerum, qui impugnauit Cardanum, eumdem fuisse dixit, quem Petauius inuasit, vbinam non dicam ingenium, sed oculos habebas; in facie ne, an in dorso? Num verò historijs profanis, & Ecclesiasticis velis tribuere sensus anagogicos, & tropologicos, ille viderit, *quem comparas in literis Alexandro in armis, & in scientia Augustino*..

Prepara, inquit, *dorsum, & accipe huiusmodi onera, quamquam conuenientius esset ponere dorsum ad verbera pro tuis erroribus infligenda*. *Ibid.*

O verberatissime, Norisio verbera l Ciuis Veronensis est, ac iure Coloniæ Romanæ gaudet. Mehercule

Nimis vellem habere perticam. quæ rei? qui verberarem *Asin.Act.III.2.43.*

Asinos si fortè occeperint clamare..

Clamas? *prepara dorsum*. Reponet tibi Norisius eleganter cum nostro Plauto..

Namque edepol equidem, mi senex, non didici baiulare. *Act.III.sc.10.*

imo didicit baiulare, nam in Aduentoria tantam eruditionis cum profanæ, tum Ecclesiasticæ congeriem in Macedonis caput præcipitem dedit, vt eumdem penè exoflauerit.

rit. Ne graueris tamen, mi Noris, vbi docta eruditionum pondera gestanda sunt, huic ingenioso, & delicatulo respondere:

Asin. 3. 3. 70. *Ego baiulabo: tu, vt decet dominum, ante me ito inanis.*

Ibid. Addo inquit *dorso tuo: Seuerum apud Metaphrastem, & Surium in vita Sanctæ Melaniæ iunioris, fratrem Piniani esse, non quia ignorem Palladium, & Heracliidem dicere Seuerum fuisse Patrem Piniani sed quia defuit istud onus Metaphrasti, ac Surij dorso tuo.* Aduce *Albinam socrum Melaniæ iunioris, Hierosolymis mortuam esse.*

Et hic iterum oculos in dorso, vel certè in soccis gestas. Consule pag. 15. Aduentoriæ, vbi etiamsi de gente Coclytum sis, hæc leges (Quod cùm Seuerus Piniani frater intellexisset, &c *insano Dæmonis instinctu* inquit author vitæ S Melaniæ, *inspiratus &c.*) Itaque Norisius ex actis Melaniæ apud Surium, & Metaphrastem scripsit Seuerum fuisse fratrem Piniani. Tibi ergo habeto hoc onus, quod dudum ille in Macedi humeros deuoluit. Hisce fallacijs vteris, vt fucũ facias imperitis. Videsne quanto ignominiæ pondere graueris, vt pol tibi Norisius dicere possit, dum tua onera portas.

Amphor. 2. 1. 172. *Illic homo à me sibi malam rem arcessit iumento suo.*
Nec te equo magis est equus vllus sapiens.

Asin. 3. 3. 114. Scripsit idem Norisius ibidem pag. 33. *Plura de Albina leges in actis eiusdem filiæ Melaniæ.* Inde illa, quæ ad rem faciebant, deprompsit, ac

Trin. 4. 2. 12. *Quæ voluit, tibi dixit, docuit, & præmonstrauit prius*

Ibid. *Nunc accipe*, inquit, *ingentem verberationem pro ingenti tuo mendacio.*

Hausen Macede,

Curc. 1. 3. 42. *Noli amabo verberare lapidem, ne perdas manum.*

Ibid. *Dixisti enim* ait *in tua infelici Aduentoria Heribertum Rosuueydum tradidisse absurdam tuam grammaticam de permiscendis nominibus masculorum, & fæminarum; hoc est falsissimum. Audiamus ipsum omnino cum Baronio, non tecum fremientem, lib. 8. vit. PP. in peregrinatione Palladij in titulo* Profectio in Africam *sic ait:* Extat epistola

cuius

cuius est titulus ad Albinum, Pinianum, & Melaniam, sed pro Albino Albinam restituendam puto. *Idem repetit ex Baronio in titulo* Profectio Hierosolymitana *pag. 698. si cum Baronio:* Verum pro Albinus Albina, & pro Apinianus Pinianus, & Melania restituendi sunt, nisi præter Albinam matrem fuerit illic Albinus filius. *Sentit cum Baronio, & seruat leges Grammaticæ. Quomodo tu dixeris contrarium, & falsum ei testimonium dixeris, videris tu ipse. Attende conscientiæ tuæ, & nos deinde minime credemus tuis dictis.*

Vel hic iam quintùm oculos in calceis habes, vel dolum, ac fraudem in manu. Cum viderem Rosuueydum eruditissimum Iesuitam à P. Norisio suæ opinionis (quam tamen vix induere possim) auctorem laudari, & opposita proximè Rosuueydi verba ab Hausen Macedo iactari, nec illius volumen non modo ruri, sed nec in vrbe apud amicos haberem, curaui vt aliunde suppetias ferrem. Itaque literas Patauium misi ad P. Augustinum Castanum Clericum Regularem, virum eruditissimum, & non vna virtute mihi probatum, rogans vt ex domestica, eaque instructissima bibliotheca, eam mihi ex Rosuueydo difficultatem aperiret, quam vir humanissimus prolixiori epistola profligauit; cuius quidem diligentiæ accepta fero, quæ in literas mitto. Heribertus Rosuueydus vitis Patrum, quas in prægrandi volumine antiquis scriptoribus narratas exhibet, voluit præmittere, honoris gratia, quæcumque de eisdem Baronius suis Annalibus sparsim inseruerat. Hinc scribit in eodem volumine edito Antuerpiæ A. 1628. pag. 424. in preludijs ad Lectorem. *Placuit hic quod & in primo libro in Hieronymo præstitimus, ex magni Historici Annalibus Ruffini peregrinationem seligere, eamque verbis Baronianis repræsentare. Sicubi quid obseruarimus, vel si qua in re non omnino inter nos conuenit, NOTATIO, & lucem obscuritati, & DIVERSAE OPINATIONIS rationem dabit.* Itaque Baronij fragmenta præmittit, numeris medijs in versibus insertis, qui subiectas postea abs se Notationes indicent. Igitur lib. 8. præmitit *verba* Baroniana à pag. 689 vsque ad pag.

pag. 701. Porrò pag. 694. versu 24. hocce fragmentum Baronij cum inserta nota numerali recitat: *extat ipsa epistola, cuius est titulus ad Albinum, Pinianum, & Melaniam: 6. sed pro Albino Albinam restituendam puto.* At Rosuueydus pag. 702. suas in præmissa Baronij fragmenta notas subiicit, cum titulo NOTATIO. Vbi pag. 703 (730. per errorem irrepsit) col. 1. ver. 19 hæc notat: 6. SED PRO ALBINO ALBINAM) *Proba Baronij diuinatio, intelligi hic Albinam; sed non necesse* Albinam *pro* Albino *restituere. Constat enim illo sæculo fæminarum nomina etiam masculinis terminationibus quandoque elata. Sic de fæmina, nunc* Melania *nunc* Melanius, *nunc* Melanium *apud veteres occurrit.* Hæc Rosuueydus. Vah Hausen Macedi imposturas, qui ausus est sub hoc Sole, Baronii verba pro Rosuueydi verbis obtrudere, & scribere Rosuueydum *cum Baronio sentire*, cum ille Baronii correctionem, quòd terminationem nominis masculini de fæmina attinet, non admittat, sed subiectis exemplis infirmet, & nostri ciuis opinionem apertissimè tradat. Hausen Macede:

Amphitr. 1.1.210. *Ne tu istic hodie malo tuo compositis mendacijs*
Aduenisti, audaciæ columen, consutis dolis.

Si hic in Rosuueydo laudata superiùs verba legit, & tamen bipedum mendacissimus, ausus est Norisium scriptorem veracissimum, ac sincerissimum *ingentis mendacij* reum postulare, ac *ingenti verberatione* dignum proclamare, Edepol

Most. 4.2. *Nihil hoc confidentius, qui quæ videt, ea pernegat.*

At si præcipiti ac per saltum, vt canis ad Nilum, Rosuueydi lectione vsus, huius scriptoris methodum, intentionem, ac verba, supina hallucinatione deceptus, nequaquam notauit; quis ibit inficias, hunc hominem oculos non in fronte, sed in tergo, cum legit, & eos quidem lippos, ac cæcutientes gestare, vt fenestrati Fratris Iacoponi calcei longè eodem oculatiores habeantur. Ira fortasis, ac liuor Hausen Macedum obcæcauit: Hinc Baronium cum Rosuueydo confundit, qui iactat auctores se legere in fonte, cum Norisius per Indices studeat.

Quem

Quem vides, eum ignoras; illum nominas, quem non vides. Capt.3.4.34

Isti homines Iosephum Scaligerum in Iulium Cæsarem Patrem, & Baronium in Rosuueydum mutant, & Norisio de mutata fœminini nominis terminatione, litem intendunt. Vicisti, mi Noris; Eugepe clama, insulta Hausen Macedo aut cæco, aut mendacio sibi suffragante Rosuueydo:

Tace, tace: meus est hic homo. Pseud.2.2.6.

Noris, inquit, *quæso Noris tuam superbiam. Aperiat* pag.9.
Deus oculos tibi ad videndum, & lugendum tuos errores, qui sunt in materia de gratia septem: contra S. Augustinum nouem.

A verberibus ad verba transit, incipiens tympanum pulsare, hoc est, de more rethoricari, imo concionari, & quidem hoc anno Macedo primum librum edidit pro Concionibus contexendis.

Atra bilis agitat hominem. Capt.3.4.64.

Deum tu potius ora, vt imposterum non in dorso, sed in facie oculos apertos geras, vt quæ legis, sine errore percipias. Si Norisius horum errorum reus conuincatur, non dubito quin citissimam palinodiam cantabit,

Quin suspirabit plus sexcenties in dies. Mænech.4.4.8.

Cæterum hic tandem intelligo Hausenum alium esse à Macedone. Nam ille scribit, Norisium publicasse errores *contra Augustinum nouem*. Macedo nescio qua superstitione tactus, numerum nonum, quando cum Norisio litigat, omittit. Etenim in Commentatione de doctrina Lirinensium pag. 61. terminat caput octauum, & statim initio pag. 62. scribit: CAPVT X. nono capite omisso. Rursus pag. 144. concludit caput decimum octauum. At pagina insequenti 145. scribit: CAPVT XX. iterum nono suppresso. Num climactericum putet suis contra Norisium scriptis numerum nonum, vel id ex occultis sibi tantùm notæ cabalæ mysterijs fecerit, ipse viderit. Video tamen illum parum Arithmeticæ leges nosse. Nam in frontispicio primæ commentationis scribit: PARS PRIMA. At secunda pars nusquam visitur, hæret adhuc calamo, & in mente concoquitur. Præterea

ca-

capiti decimo tertio pagin.96. ad finem deducto subiungit CAPVT XV.

Pag.9. *Infammasti*, inquit, *Sanctos, imposuisti calumnias Doctoribus Scholasticis, appellasti Semipelagianos hereticos grauissimos Patres Iesuitas. Cardinalem Sadoletum per quatuor paginas denigrasti fuligine erroris Semipelagiani. Contradixisti tibi viginti tribus vicibus, adequasti Cassianum S. Augustino, & alia multa commisisti, & tamen gloriaris, & exultas, tanquam si non errares.*

Prius crimen, quod Norisio impingis, cæteris grauius est, dum eumdem vri Agiomachum traducis. scripsit Noris Sanctos Vincentium Lirinensem, & Hilarium Arelatensem semipelagianis consensisse aduersus S. Augustini doctrinam.

Most.V. 2. 14. *Sed tu quid istuc confugisti in aram insciti ssimus.* Macedoni credidisti, qui in titulo cap 20. pagin. 145. scribit. *Norim solum ex Catholicis Sanctum Vincentium Lirinensem Semipelagianismi condemnasse.* Et cap. 16. pagin. 119. ait: *Cedo mihi, quæso, Pater Noris scriptorem aliquem bonum, malum, qui Hilarium Arelatensem Semipelagianismi appellet. Ego nullum hactenus potui inuenire.* Hic mihi hæsit aqua, forensibus enim causis addictus, haud potis eram Ecclesiasticam hanc litem cognoscere. Subit animum vetus amicitia, quam cum P. Magistro Io: Paulo Stoppa Veneto Augustiniano contraxeram semel, atque iterum apud eumdem Venetiis hospitatus. Itaque ad eumdem literas misi, rogitans vt si quæ haberet scripta in caussa P. Noris cum P. Macedo, mihi transmitteret. Tum ille laudare meam diligentiam, ac studium, plura se collegisse, ac mittere quæcumque manu exarata in pluteis habebat; nam editorum plura putare se Veronæ exemplaria haberi. Vnicum P. Norisii scriptum vidi, quo de Sanctorum Lirinensium doctrina disputat, ex quo tamen plurima huc transferam Doctorum testimonia, ad insulsam Hausen macedi accusationem explodendam. Pol equidem obstupui, cum tanta contra Norisium scriptitata toto penè anno, adnotaui. Indicem hic tantùm proponam.

Li.

Libellus supplex traditus à Macedo Sacræ Congregationi Rituum.

Incipit *Io Frà Francesco Macedo, &c.*

Libellus ficto nomine P. Noris per dolum publicatus cum titulo: *Protesta retrattatoria di Fr. Henrico Noris Veronese, per l'opinione propria, che taccia. ua S Vincenzo di Lerina per Semipelagiano.*

Tertius cum epigraphe. *Contradittioni del Noris nella causa dell'Heresia Semipelagiana cauate dal suo Tomo raccolte da F. Giaceppone Laico Cappuccino.*

Quartus. Paralella inter Norisium, & Macedum cum titulo.

Patribus Augustinianis, & Augustini discipulis.

Epistola P. Macedi ad Patrem Augustinianum Prouinciæ Etruriæ Præfectum.

Incipit: *Et meus in Augustinum amor, &c.*

Libellus prouocationis ad certamen literarinm Bononiæ habendum.

Incipit *Libellus prouocationis &c. missus a P. F. Francisco a S. Augustino Macedo*

Item: *Relatione del successo del duello letterario del P. Macedo in Bologna.*

Incipit. *E partito per Padoua quel virtuosone, e glorioso Campione della Gratia, e di Sant'Agostino il Padre Macedo, &c.* Extat typis impressus fine auctoris nomine.

His tamen Norisius nullam responsionem adornauit, quamuis, & amici, & affines importunis eumdem literis ad edendas, vel saltem scribendas apologias adhortarentur. Vnum se dolere dixit, palinodiam illam Macedi manu confictam, suo tamen nomine inscriptam passim Patauij per multorum manus volitasse, cum de eodem scripto ne quidem somniasset; sed legem contra falsarios appellare. Habere apud se eiusdem fictæ palinodiæ ipsius Macedi manu correctum. Hæc didici ex eiusdem literis ad Natalem Norisium. Ille quidem breuissimam apologiam Romam

 misit

misit, & in qua de doctrina, ac sanctitate Lirinensium differit, suamque opinionem tot auctorum suffragijs communit, vt planè irridenda sit Macedi ignorantia, aut calumnia, qui ob eamdem Norisium ad tribunal rapuit, & mille conuicijs excepit, quasi vaus illa effutiuerit.

Amph supp. *Secum solus, puto, rationes colligit.*

Basilius Poncius Augustinianus 1. par. Relect. de gratia cap. 4. numer. 1. ait: *Praecipui inter eos*, nempe Semipelagianos, *fuere Cassianus Chrysostomi discipulus, & a quo suos errores de gratia didicisse existimant nonnulli, sed falsò, vt ostendam postea, & Vincentius Lirinensis, et Faustus Regiensis*. Quantum verò auctoritatis pondus huic Scriptori insit, audias à P. Diana, quem noster Plebanus Theologiæ moralis scientissimus mihi ostendit in tractatu de matrimonio, vbi ait: *Vnus mihi instar mille Basilius Poncius*. Sed quid mortuos testes appello? Pater Claudius Frassen Ordinis Minorum Obseruantium, Doctor parisiensis Scholæ, in Academia Scotica tract. 1. disput. 3. sect. 1. quæst. 1. § 2. pag. 421. & 422. Norisium hæc docuit. *Vincentius Lirinensis videtur etiam adhaesisse, & fauisse Semipelagianis, censeturque ab aliquibus scriptor obiectionum Vincentianarum, quibus S. Prosper respondit. Quod etsi caetera taceant, hoc sufficienter euincit, quod eodem modo Caelestini Papae epistolam, qua se Catholici tuebantur, aduersus Catholicos vsurpare non dubitauerit*. Postea. *Vrgendo tantoperè illud (si) non obscurè indicat se criminationem Prosperi, & Hilarij pro falsa habere*. Idem plura ibidem eam in rem adducit testatus, *Vincentium Cassiano Collationum Scriptori, in quem S. Prosper pugnabat, adhaesisse*. Hæc ille. Eugepè! Est hic testis è tua familia, cuius libri editi sunt Parisijs anno 1672. Tam ignarus es, vt nec quid tui loquantur scias.

Amphitr. II. 2. 105. *Vera* dicunt, *sed nequicquam: quoniam non vis credere*

Testium testem producit Noris Christianum Lupum Doctorem celeberrimum Academiæ Louaniensis, qui tom 4. not. in Synodos pag 758. scribit: *Aureum illud Vincentij pro fidei*

fidei Catholicæ antiquitate Commonitorium , ad instar Ca-
norum Antiecheverum , est malæ radicis non malus per cm.
nia fructus . Ostendere conatur , non Augustini , sed Suo-
rum dogmata esse anita. , ideoque hæc , non ista fuisse per
Cælestinum comprobata Epistolam , quòd impugnare non
posset, ita placuit detorqueri . Curs.2.1.4.
Sanè illi inter se congruunt concorditer .
Quartus testis ait : *Deinde si qua Pelagiani erroris fuligo*
Lirinensibus adhæsit , vt adhæsit sanè , ea certè non ex Iu-
liani , sed ex Cassiani societate , & multis quidem ante an-
nis , vt ex Commonitorio Vincentij colligitur , afflata est .
At inquies. Curs.2.1.14
Quis est hic , qui loquitur ? quoniam vocem audio ?
Est P. Ioannes Garnerius Iesuita , qui ea loquitur disser. 1.
de primis auctoribus hæresis Pelagianæ cap. 6. pag. 150 no-
tarum in Marium Mercatorem. Capt.3.4.40.
Tunc huic credis ?
Audi Macedum in comment. 2 polemica pag. 297 laudan-
tem P. *Ioannem Garnerium virum doctrina eximia , eru-*
ditione multiplici , ac recondita , eloquentia summa , virtu-
te singulari de republica Ecclesiastica benemeritum , senectu-
te venerabilem . Videtne, mi Frater. Capt.3.1.20.
Quis ait hoc ? aut quis profitetur ?
Illud autem notatu dignum est , eodem anno 1673. Garne-
rium Parisiis , Lupum Bruxellis , Notisium Patauii , sua
volumina edidisse ; concordi de doctrina Vincentii Lirinen-
sis sententia Et tamen Macedo , qui auctores in fonte legit ,
blaterat pag. 145. *scrim Norim ex Catholicis S. Vincen-*
tium Lirinensem Semipelagianismi incusasse . Quatuor
Doctores , qui inter homines ambulant , publici professo-
res , docti, eruditi, Fratrem Mirorita , Garnerius è Societate ,
duoque Augustiniani Lupus , & Notis. , idem de Vincentio
testantur . Manech. 5.
Quot sunt satis ? quatuor , nihilominus . 6.48.49.
De Hilario Arelatensi cum Norisio sentiunt S. Prosper in
epist. ad Augustinum , Theophylus Raynaudus in apologia
pro Valeriano Cemelensi cap. 4. Henao sect. 28. de scientia

E ij me-

media, Sirmondus tom. 2. Conc. Labbei pag. 1818. Sammarthani tom. 1. Galliæ Christianæ pag. 46. Maguinus par. 2 confut fabulæ Prædest cap. 11. pag 650. & 475. Florentinus in notis ad Martyrologium die 5. Maii Godeaus in Historia Ecclesiastica Et cum dicat Macedo : *Cedo mihi, quæso, P. Noris scriptorem aliquem bonum, malum*, addit P. Noris Vsserium Caluinistam de antiq Eccles Britan. cap. 11. pag. 346. & Olearium Lutetanum in Patrologia *V. Hilarius*. Citaui libros, eosdem Macede, & Hausene pro commodo legere poteritis. Audistis *bonos*, & *malos*.

Capt. 4. 1. 6. *Commonstrabo, quo in quemque hominem facile inueniatis loco,*

Ne ni mio opere sumat operam, si quem conuentum velit.

Vel vitiosum, vel sine vitio: vel probum, vel improbum.

Laudat in eo scripto Norisius egregium testimonium doctissimi Lucæ Holstenii, qui Baronii errorem in Martyrologio Romano in notis erudite emendans ait: *Fuit diuersus ille Hilarius ab Arelatensi Episcopo: Nam Arelatensis Massiliensibus fauebat contra Augustinum*. Item. *Hilarium autem Arelatensem Semipelagianos aliquando contra S. Augustinum fouisse euidentissime probat Auctor antiq. Eccles. Britan.* Hic liber est editus Romæ A. 1673. iussu Cardinalis Francisci Barberini, approbante Reuerendiss. P. Capisuco Mag. Sac. Palatii Apostolici, viro doctissimo, æquè ac nobilissimo. Arrige aures Hausen macede. Quindecim Scriptores ea in sententia nostro Norisio adstipulantur, & audebis clamare? *Infammasti sanctos*. Itane dices solum Norisium ex Catholicis in eam opinionem abiisse?

Capt. 5. 2. *Quid me oportet facere cum tu talis vir falsum autumas?*

Menech. 1. 2. 3. Putasne hos esse *extra numerum*, vt meus ait, & ad *scriptiuos legionem*?

— cauaistue feceris.

Di-

Dicent te mendacem , nec verum esse, fide nulla esse te. *In Mil. IV.* 8.58.

At Macedo fidem habuit scriptor Diarij literarii hoc anno 1671. Venetijs impressi , vbi laudatis polemicis commentis senis Lusitani ait: *Li scriue contro l'Istoria Pelagiana del Padre Noris Agostiniano, ed egregiamente para a se medesimo difende dalle colorite calunnie, e pretese imposture dello stesso S. Vincenz. Licinese* (Vah nec nomen nouit!) *e S. Ilario Arelatense*. Sutor, satorque illarum farraginum , cum Macedonias imposturas sorbuisset, easdem non supra vnius Norisij , verum tot nobilissimorum scriptorum capita per summam inscitiam eructauit.

Gerra germanæ atque edepol liræ liræ. *Pæn. I. 1. 9.*

Reuerende Presbyter, ne vltra crepidam. Disce libros legere, vt discas de libris iudicare , ne dum literatorum catalogum texis, ipse in illiteratorum albo nigro carbone figeris. Referesne in tuum Diarium hancce ridiculam opellam?

Pro fine, inquit, *scias grauissimè te errare negando doctrinam S. Augustini fuisse approbatam a Celestino Papa per suam epistolam decretalem, & Semipelagianismum damnatum: Magnam iniuriam facis doctrinæ S. Augustini Parentis tui.* *Pag. 9.*

Forenses causas agito, ac tribunali inseruio, nec is sum qui profana manu Theologorum sacra tractem . Ex apologia à P. Stoppa accepta plura tibi reponere possem, quæ P. Noris, vel ipso teste Macedo, *in scholis Theologicis, & Ecclesiasticis spatijs versatissimus* in eo scripto, & eruditè, & acutè notauit; Inde paucis rem expediam. Aliud est doctrinam S. Augustini fuisse Cœlestino probatam, aliud eamdem ab Apostolica sede in Canones relatam. Tot Romani Antistites doctrinam S. Thomæ commendarunt, nullus tamen opiniones sancti Doctoris inter fidei dogmata retulit; vt licitè non possint à discipulis Scoti impugnari. Felix IV. longiores illas de gratia lites tandem composuit, quibusdam S. Augustini sententiis auctoritate Apostolica inter canones relatis, ex quibus Synodus Arausicana II. conflata est. Cassianus, Faustus Reiensis, aliique

Semi-

Semipelagiani viri fuere sanctissimi, & doctissimi, eisque aræ, ac templa in Galliis erecta sunt, vt eruditus ciuis ostendit. Indicem consule Historiæ Pelagianæ. Nullus eorum fuit hæreticus, re nondum à Romana sede definita. Plures huius dicti testes ibidem Norisius laudat, vt cum Plauto dicere possit.

Amph. II. 2. 192. Mihi quoque asunt testes, qui illud, quod ego dicam assentiunt.

Vasq. 1. part. disput. 88. cap 6. initio vocat *Semipelagianos viros insignes, & eximiæ sanctitatis, nec tam aperte a veritate aberrantes.* Item disput. 89. cap 4. numer. 24. *viros alioqui Catholicos, & religiosos.* Vbi etiam ait, *Inter quos fertur fuisse Vincentius Lirinensis.*

Suarez prolég. 5. de gratia capit 5 numer. 6. scribit: *Nihilominus negari non potest, Cassianum fuisse vnum ex præcipuis illius erroris defensoribus. Per quod non intendimus eius damnare, vel omrare personam, nondum enim erat illa sententia heresis, vel erroris damnata ab Ecclesia, vt Prosper in suo libri contra Collatorem aperte docet, Cassianumque inter Catholicos numerat.*

Notat autem P. Noris Prosperum scripsisse post obitum Cælestini, sedente Sixto, nam Propter ibidem vocat Cœlestinum *sanctæ memoriæ* Pontificem, & postea Sixtum commendat.

Theophilus Raynaudus in apologia Valériani Cemelensis. cap 5 ait; *Cassianus ergo, & Faustus pij, & sancti viri, nec in vita dumtaxat pietatis laude clari, sed etiam post mortem ijs in locis, in quibus vitam exegerunt, sanctitate commendati, & cœlitum honoribus illustres, humanum aliquid passi, re nondum per Ecclesiam perspicue definita aliter de salutis initio scripserunt, quam sana doctrina ferat: ita Raynaudus.*

Iacobus Sirmondus tom. 1. Conc. Galliæ in notis ad Synodum Arausicanam II. ait: *Ceterum graui, ac diuturnæ contentioni, quæ sanctissimos, & doctissimos vtrinque viros centum, & amplius annis exercuit, finem postea tandem attulit Synodus Arausicana II., quæ totam de gratia, &*

libero,

libero arbitrio controuersiam ex Sancti Augustini sententia composuit.

Ludouicus Cellotius lib. 2. hist. Gottesc. capit. 4. scribit: *Quod ego de Semipelagianis pernego, quorum sanctitatem vitæ ipsi doctrinæ hostes agnoscunt, & laudant, & si chronicam, & si historicam mentem placet consulere, inuenietur peculiare illud Semipelagiano errori fuisse, nullum vt hæreticum habuerit professorem, cum qui sunt illam professi ante condemnationem Orbe Christiano publicatam, & admissam vixerint, qui autem postea vixerunt, illum repudiarint.* Contestatur neminem Semipelagianorum fuisse hæreticum. Sunt isti Scriptores omnes Iesuitæ, in quorum familia Macedo plurimos annos vixit, quod nuper cognoui ex indice librorum, quem addidit volumini de Amicitia, edito hoc anno Patauij, vbi recitat elenchum eorum, quæ olim Iesuita vulgauit. Et quidem, mi Noris,

Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos. Ter. Ill. 2. 6.

Iesuitæ enim suorum Doctorum sententias tam apertas, tam luculentas, tam veras, nunquam in erroris, ac falsitatis suspicionem à quoquam ex grege Macedonico vocari sinent. Pluris faciunt quadraginta quatuor paginas Sirmondi, quam quadraginta quatuor libros, & centum quinquaginta millia carmina Macedi.

Sequere, inquit, *consilium sancti Hieronymi, agnosce, & corrige errores tuos.* Pag 9.

Papæ! Capt. IV. 2. 31.

Basilicas edictiones atque imperiosas habet.

Satur homo est; habet profecto in ventre confidentiam.

Absit vt quicquam humani à meo conciue alienum putem. Tuum est horum errorum, quos cum *tantis turbellis* exaggeras, indicem texere, atque ad eumdem transmittere, vt tua opera sibi cognitos deponat.

Ne vtaris, inquit, *fauore Principum ad errores fouendos.* Ibid.

Quid adorata terris, ac syderibus penè inserta Principum nomi-

nomina, ad tuas hasce quisquilias deprimis? Periculum tuo capiti moliris, cum quicpiam odiosi in eos scribis, qui possunt proscribere. Itane tanto vesaniæ impetu raperis, vt potentissimos Principes Norisij errorum, quos fingis, defensores, & publices, & accuses? Scito quemque principum (quos enim intelligas nescio) irato supercilio te illis Terentii verbis à se procul abiicere.

Hec.IV.4. *Ita tu isthac tua misceto, ne me admisceas.*

Ibid. *Neque*, inquit, *imponas tuæ religioni onus tui defendendi contra Augustinum.*

Amice, audire Terentium; *iam dudum animus est in patinis*. Augustiniana gens non suscepit onus Norisii defensandi, sed deposuit onus Macedi hospitandi. Fama est Macedum, quoties per Italiam cursitabat, apud Augustinianos solitum hospitari, ac lautæ satis mensæ admoueri. At literariis postea inter ipsum, & Norisium Augustinianum litigiis exortis, Augustiniani silicernium Macedoni denegarunt. Hinc ille dolens fractam tesseram hospitalem, ea ieiuno ventre contra Augustinianos crepitauit, quæ non sine horrore in libello de duello literario per summam petulantiam vulgata leguntur. Pater Magister Franciscus Maria Mezzanellus, qui nuper functus est regimine Augustiniani Veronensis cænobii, mihi testatus est, suos sodales, nescio quo instinctu futuri præscios, nunquam Macedum ad mensam vocasse. Hinc cum anno proximè elapso Veronam se contulisset, vt ibidem aduersus duos nostræ patriæ ciues (quæ magna viri cum prudentia, tum modestia fuit) libros vulgaret, atque à religiosis cænobii Minoritarum S. Bernardini communi tantùm obsonio, & quæstuario, ac plerumque secundario pane pasceretur, ægrè tulit se tam multa Veronæ typis edere, & tam pauca edere in mensa. At Pater Guardianus cibariam inopiam, ac frugalitatem religiosæ mensæ subinde excusare.

——— ——— *hoc conuiuium est*

Stich.I.4. *Pro nostris opibus, satis commodulè, nucibus, ficulis, fabulis,*
Olea ex tryblio, lupilli cum minuto crustulo.

Itaque

Itaque venter, gutturque resident esuriales ferias. Capt. III. 1.

Cum verò senex Macedo de domesticæ rei cibariæ inopia, & exigua Cerere quereretur apud virum generis nobilitate, opum affluentia, munificentiæ splendore, erga eruditos patrocinio nemini nostra in patria comparandum, is octogenarij, ac planè edentuli hominis famem miseratus, eumdem suæ ipsius mensæ splendidissimo apparatu semper institutæ, participem fecit. Tum sibi visus est Macedo opiparè *pappare* in Apolline. Hinc tantæ beneficentiæ me- Epid. V. 1. 61. mor, volumen eidem Domino nuncupauit, datique cibi mentionem facit in dedicatoria epistola, conatus magni hospitis pro diminuta sibi fame, famam longius extendere. Narraui rem in nostra Patria notissimam. At homo ab Augustinianis foribus modò exclusus, hiante bucca, contra eosdem conuicia vomit, illud Terentij secum dictitans.

Crucior bolum tantum mihi ereptum tam subitò è faucibus. Heaut. IV. 2

Ohè Augustiniani Fratres, ohè Reuerendi, Stich. IV. 1

Senex quidem voluit, si posset, indipisci de cibo. Ibid.

Audi, inquit, *Hieronymum in apologia aduersus Rufinum*: Palinodiam cantato, nec erubescas de commutatione sententiæ: non es tantæ auctoritatis, & famæ, vt errasse te pudeat.

Cur Norisius palinodiæ canendæ monetur? Visne ipsum actum agere? Macedo palinodiam bellissimam finxit, ac per dolum, Norisii nomine eidem inscripto, publicauit. Quæso te, suos illi errores denuncia, est ingenuæ, ac docilis mentis vir. Hoc si faxis, hasce eiusdem voces, vel coram inaudies.

Fateor me peccauisse, & me hanc culpam commeritum scio. Aul. IV. 10. 9.

Id adeò te oratum aduenio, vt animo æquo ignoscas mihi.

Ego, inquit, *nunc te moneo cum Hieronymo, Macedo iterum te monebit cum suo Augustino.* Pag 10.

Incipis in calce inuectiuæ inire grandem à Norisio gra-

 tiam,

tiam, nam vt meus ait in Curc. 3. prope finem: *Qui monet quasi adiuuat*. Sed audire mihi videor meum concivem vtrique vestram respondentem.

Stich. 1. 2. 6. *Cum ego reuortar, vos monumentis commonefaciam bubulis*.

Ibid. 69. *AEdepol, vos lepidè sentaui, vestrumque ingenium duum*.

Dico, inquit, *amplius*. *Idem Noris sibi omnino contrarius in Appendice cap. 4. pag. 187. ponit hunc titulum*: Gennadius Masiliensis Semipelagianus à Recentioribus excusatur; *& probat contra Suarium, & Annatum illum fuisse Semipelagianum, quia contra epistolam Celestini illa dogmata secutus fuit, & per duas integras paginas ostendit contra eosdem Doctores Semipelagianum fuisse, quia contradixit epistole Celestini approbantis doctrinam Augustini, & reprobantis dogmata Cassiani*.

Mentiris. Ex Norisii libro à te citato pag. 188. in fine.

Pers. 5. 2. 65. *Tabellas tene has: pellege*.

Quare Gennadius ex libro Prosperi cognoscit à Celestino Cassiani, & sociorum TEMERITATEM *reprehensam, qua contra S. Augustini doctrinam* INSOLENTER *insurrexerant* Audin quid dicat? Non scripsit Norisius à Cælestino damnata Semipelagianorum *dogmata* vt mentiris, sed *temeritatem*, qua *insolenter* S. Augustini sententiam sugillabant, eamdem hæreseos condemnantes; secus acturus, si modestè contra Augustini placita disputassent. Ita si quis opiniones S. Thomæ & temerè, & insolenter hæresis damnaret, iusta censura castigaretur, quin S. Doctoris opiniones intra doctriuam de fide referrentur. Itaque Hausen Macede, tuæ

Capt. 3. 3. 9. *Patent præstigiæ: omnis res palam est*.

Tota pagina decima ridiculi tui opusculi discurris de re licitè opinabili, antequam transeat in dogma fidei; qua in re cum homo foro inseruiens, planè hospes essem, Plebanum Presbyterum nostri pagi consului, qui lectis ijs, quæ eruditulus loqui mihi videbare, cachinnos sustollens, te imperitissimum Theologum pronunciauit, asserens haud necessum

cessum esse, opinionem aliquam, antequam ab Ecclesia damnetur, speciali quopiam decreto Pontificio, probabilitate donari, sed satis esse, Doctoribus in vtramque partem litigantibus, nihil interim ab Ecclesia decerni. Id densa exemplorum acie firmabat. Ita Semipelagianorum opiniones ante definitionem Ecclesiæ *à viris sanctissimis, ac doctissimis*, vt ait Sirmondus in Gallijs defensatæ sunt, quin sectatores hæretici haberentur, vti ex plurium Iesuitarum testimonijs ad oculum ostensum est. Hac occasione eidem Plebano legi hanc opellam contra Hausenmacedum, qui in cachinnos rursus effusus dixit.

Nunquam edepol illo die risi adæquè: Cas.5.1.3.
Neque hoc quod reliquum est, plus risurum, opinor.
Neque vsquam ludos tam festiuos fieri, Ibid.4.1.2.
Quam hic intus fiunt ludi ludificabiles
Seni nostro.

Peccauit autem, inquit, *grauiter Noris, dum attribuit* Ibidem.
S. Vincentio Lirinensi quatuor peccata capitalia.

Expiabit has noxas Norisius apud Lupum, Frassenum, & Garnerium, non apud te, qui scrupulosior es, & rigidior; diceres enim depresso supercilio: *Accipe ingentem verberationem pro ingenti tuo mendacio*. Scribit Noris lib. 2. Hist. Pelag. cap. 11. pag. 250 *Cum Augustini fortasse doctrinam de prædestinatione, veluti per cuniculos eo opusculo subruere tentaret*. Dixit *fortassè* Lupus assertiuè idipsum pronunciauit. Vincentij tamen opus quanti à nostro scriptore fiat, ibidem leges, modo more familiari oculos in calceis non geres. Eorum sanè criminum rei sunt Cassianus, Faustus, alijque, quos tamen ab omni culpa immunes docent Raynaudus, Suarez, Sirmondus, & Cellotius. Videsis hos ipsos tantæ auctoritatis esse, vt constituerrè possint opinionem probabilem. Vidi apud Casuistam Plebanum librum P. Honorati Fabri, qui fusè, & lepidè dialogizat de opinione probabili. Idem noster Plebanus vir doctus, neque triobolaris Theologus dixit, ea quæ calumniæ à Prospero dicuntur, fuisse illationes ad absurdum, quibus impetebant S. Augustini doctrinam. Addebat in disputatione de Auxilijs Iesuitas

 im-

imponere Patribus Dominicanis absurdas propositiones Caluini,& hos par pari reddentes,contendere, illos docere dogmata Semipelagianorum; neque id neutri parti in religionem venire, vt tot tantaque peccata capitalia se committere putent. Ita ille. Ego homo non Theologus mihi narrata refero, de quorum veritate disputare extra iuris forensis limites est; neque enim sacræ illæ lites Bartoli aut Baldi paragraphis discuti possunt.

Pag.11. *Pro fine monendus mihi es tu ipse Noris. Attende, si doctrina Sancti Augustini non fuit appro..*

Tace, iam tandem tace. Tibimet tuas hasce monitiones habeto. Desine talibus, quæ mihi bilem, & nauseam concitant. Sed modo iam tandem finias crocitare, *non fuit approbata, nec d finita à Celestino, Primo, nec a Gelasio, nec ab Hormisda, quia non sufficienter eam approbarunt, nec definierunt, certè non est adhuc in Ecclesia approbata, nec definita, quia tuum illud Concilium Arausicanum II., in quo tu dicis fuisse primùm definitam, non eam sufficienter definiuit, cum Auctores Theologi grauissimi cum P Suarez tom. de grat. prol 5. cap. 5. negent istam sufficientiam, vti tu etiam fateris lib. 2. Hist. Pelag. cap. 23. pag. 332. igitur hodie per te licet dubitare de certitudine doctrinæ S. Augustini, & licitum est sequi dogmata Semipelagiana. o egregium S. Augustini filium, & discipulum.*

O egregium mentitorem! Qui libellum tuum ineptissimum, ac Lapponum hyeme frigidiorem, ex puris putis mendaciorum nebulis conflatas, eumdem tam insigni, & decempedali mendacio concludis. Dignum patella operculum.

Bacch. IV. 1. 19. *Hæ tabellæ te arguunt, quas tu attulisti.*

Cum in illa pagina 332. Noris Suarii sententiam recitasset, eamdem euidenter confutat ex literis decretalibus Bonifacii II. quas ille Doctor non vidit; editæ enim postea fuere ex Galliæ, & Vaticani Archiuis ab eruditissimis viris Sirmondo, & Holstenio. Audi Norisii verba *Pontifex hæc scribit*: Quapropter affectu congruo salutantes suprascriptam confessionem vestram consentaneam Catholicis Pa-

trum

trum regulis adprobamus. *En aperta sententia Apostolicæ Sedis Arausicana decreta confirmata.* Hæc Noris. Datæ sunt literæ Bonifacij ad S. Cæsarium Præsidem, & Auctorem Synodi Arausicanæ. Rursus pag. 333. refert ab eodem Bonifacio expressè damnatam Semipelagianorum sententiam. Hausen Macede, videsne ibidem Apostolicam Sedem apertè docere? ADPROBAMVS.

Quid hæ loquuntur literæ? Ibid.

Igitur aduocatio, quam Macedo (si tamen non idem cum ipso es) tam ineptè commodasti à capite ad calcem ex Plauto irrisa est, vt planè non sine risu cum eodem dicere possim.

—— —— Ego ibo vt conueniam SENEM, Capt. 4. 4. 83

Dicam vt sibi penum aliud ornet, siquidem se se vti volet;

Nam hic quidem vt adornat, aut iam nihil est, aut iam nihil erit.

Habes, amice Lector, serijs, ac planè annuis Hausen Macedi meditatis obiectis, festiua ex mea Comico responsa. Cum ille hunc titulum in inuectiua inscripserit: *Noris castigatus*, audire mihi videor eumdem toto Plautino sale perfrictum, cum rubore obsecrare.

Parsa: vicisti castigatorem tuum;

Occlusti linguam: nihil est qui respondeam. Trin. 1. 2. 150.

Mehercule Macedi senis octogenarij vicem etiam, atque etiam doleo, siquidem dum in rixas volens, ac libens se conijcit,

Suæ senectuti, ut acriorem hyemem parat, Ibid. 2. 3. 7

Cum illam importunam tempestatem conciet.

Ille duobus Veronensibus nostris non prouocatus, & alteri quidem amicissimo, vnâ simul litem intendit, ac in eorumdem patria aduersarios libros edidit, quasi conatus eosdem domi opprimere. In primis contra P. Norisium edito volumine, datis libellis tum accusatorijs Romæ, tum prouocatorijs ad certamen, mille scriptiunculis, & ficta per dolum palinodia, per Italiam sparsis, minacibus nondum editorum voluminum frontispicijs per annum debacchatus est. Nuper

... nomachiam literariam ingenti tam plausu prouocauit, hac lege: *Nori quibuscumque armis, & socys velit vti, esto. Macedo cum vel minimo prouocet, in vno Augustino omnia sunto.* Risit ille, & irrisit seniles iras, & impotentis animi furores, ac silentium quod ab edita Aduentoria, Romana lege indictum fuerat, non minus prudenter, quam religiosè seruauit. Enimuerò si Norisius tam liberali à iactabundo aduersario conditione accepta, socios duelli, iisdem omninò armis instructos, illos secum duxisset, qui ante sexennium cum homine, quo nullus mortalium Macedoni intimior est, ad Pontem Patauinum S. Laurentij in certamen venerunt, ac Macedoni dixisset:

Curt. 2. 1. 44. *Nunc nos collatis signis depugnabimus:*

Rem pol dignam historia fecisset, quæ Appendicis loco Iustino historico assueretur, vbi recitat genus armorum, quibus olim Domini rebellantes seruos in fugam coniecerunt. Macedo minimo prouocauit, qui tamen vesani furoris, & implacabilis iræ index fuit. Ceterum Macedo tibijs, queis Bononia discedens vtramque suam manticam refertam gestabat, triumphum canere, non viso Antagonistæ petulanter insultare, ac edito typis libello stultissimo, æque ac spurcissimo, vniuersæ Augustinianæ Reipublicæ notas inurere, ac iratum Numen, & infestos Diuos eidem imprecari. Huic tamen victori

Curt. 2. 2. 19. *Locus non præberi potis est in Capitolio.*

Imaginaria enim victor a illa fuit, ac tali Thrasone digna, nisi quis victos Augustos, aut Fabios putet, cum ille Antonium ad Monomachiam, hic Annibalem ad certamen superbo supercilio prouocantes, despexere. Negauit Norisius venire in colloquium cum homine à quo probè intelligebat nil se planè discere posse, nisi philautiam, fumosa verba, inania carmina & sententias Augustini tantùm nomine plerumque incrustatas. Ne tamen quocumque honoris honestamento fraudèris ex *pentethronica pugna* ad Turrim Asinellorum Patauium redeunti, ouatio in Asino decernatur, canente choro non quidem Io Pæana, sed Iô Pan, cui olim Numini Gentiles asinum immolabant. At Macedo aereum sibi

trum regulis adprobamus. *En aperta sententia Apostolicæ Sedis Arausicana decreta confirmata.* Hæc Noris. Datæ sunt literæ Bonifacij ad S. Cæsarium Præsidem, & Auctorem Synodi Arausicanæ. Rursus pag. 333. refert ab eodem Bonifacio expressè damnatam Semipelagianorum sententiam. Hausen Macede, videsne ibidem Apostolicam Sedem apertè docere? ADPROBAMVS.

Quid hæ loquuntur literæ? Ibid.

Igitur aduocatio, quam Macedo (si tamen non idem cum ipso es) tam ineptè commodasti à capite ad calcem ex Plauto irrisa est, vt planè non sine risu cum eodem dicere possim.

——— Ego ibo vt conueniam SENEM, Capt. 4. 4. 16

Dicam vt sibi penum aliud ornet, siquidem se se vti volet;

Nam hic quidem vt adornat, aut iam nihil est, aut iam nihil erit.

Habes, amice Lector, serijs, ac planè annuis Hausen Macedi meditatis obiectis, festiua ex mea Comico responsa. Cum ille hunc titulum in inuectiua inscripserit: *Noris castigatus*, audire mihi videor eumdem toto Plautino sale perfrictum, cum rubore obsecrare.

Pausa: vicisti castigatorem tuum;

Occlusisti linguam: nihil est qui respondeam. Trin. 1. 2. 150.

Mehercule Macedi senis octogenarij vicem etiam, atque etiam doleo, siquidem dum in rixas volens, ac libens se conijcit,

Suæ senectuti, vt acriorem hyemem parat,

Cum illam importunam tempestatem conciet. Ibid. 2. 3. 7

Ille duobus Veronensibus nostris non prouocatus, & alteri quidem amicissimo, vnâ simul litem intendit, ac in eorumdem patria aduersarios libros edidit, quasi conatus eosdem domi opprimere. In primis contra P. Norisium edito volumine, datis libellis tum accusatorijs Romæ, tum prouocatorijs ad certamen, mille scriptiunculis, & ficta per dolum palinodia, per Italiam sparsis, minacibus nondum editorum voluminum frontispiciis per annum debacchatus est. Nuper

eumdem Bononiam ad Monomachiam literariam ingenti cum plausu prouocauit, hac lege: *Nori quibuscumque armis, & socijs velit vti, esto. Macedo cum vel minimo prou. ceteri in vno Augustino omnia sunto.* Risit ille, & irrisit seniles iras, & impotentis animi furores, ac silentium quod ab edita Aduentoria, Romana lege indictum fuerat, non minùs prudenter, quam religiosè seruauit. Enimuerò si Norisius tam liberali à iactabundo aduersario conditione accepta, socios duelli, ijsdem omninò armis instructos, illos secum duxisset, qui ante sexennium cum homine, quo nullus mortalium Macedoni intimior est, ad Pontem Patauinum S. Laurentij in certamen venerunt, ac Macedoni dixisset:

Genes. 2. 5. 44. *Nunc nos collatis signis depugnabimus;*

Rem pol dignam historia fecisset, quæ Appendicis loco Iustino historico assueretur, vbi recitat genus armorum, quibus olim Domini rebellantes seruos in fugam coniecerunt. Macedo minimo prouocauit, qui tamen vesani furoris, & implacabilis iræ index fuit. Ceterùm Macedo tibijs, queis Bononia discedens vtramque suam manticam refertam gestabat, triumphum canere, non viso Antagonistæ petulanter insultare, ac edito typis libello stultissimo, æque ac spurcissimo, vniuersæ Augustinianæ Reipublicæ notas inurere, ac iratum Numen, & infestos Diuos eidem imprecari. Huic tamen victori,

Curt. 2. 2. 19. *Locus non præberi potis est in Capitolio.*

Imaginaria enim victoria illa fuit, ac tali Thrasone digna, nisi quis victos Augustos, aut Fabios putet, cum ille Antonium ad Monomachiam, hic Annibalem ad certamen superbo supercilio prouocantes, despexerint. Negauit Norisius venire in colloquium cum homine à quo probe intelligebat nil se planè discere posse, nisi philautiam, fumosa verba, inania carmina & sententias Augustini tantùm nomine plerumque incrustatas. Ne tamen quocumque honoris honestamento frauderis ex *pinnethronica pugna* ad Turrim Asinellorum Patauium redeunti, ouatio in Asino decernatur, canente choro non quidem Io Pæana, sed Io Pan, cui olim Numini Gentiles asinum immolabant. At Macedo aereum sibi.

sibi triumphum canit in libello typis vulgato, cuius initium est. *E partito per Padoua quel* VIRTVOSONE, *e glorioso Campione* (cur non CAMPIONONE) *della gratia, e di S. Agostino il P. Macedo &c.* in quo quidem libello contumelioso, ausus est blaterare diuinam prouidentiam cœnobium Augustinianorum Patauij sitiisse funesto quodam casu plecti. Dabo verba maledica: *cominciando il castigo dal medesimo Conuento di Padoua, doue il Noris compose, e stampò quest'infelice libro*. Heu Fratres Augustiniani ab aruspice Macedonio.

Edepol vobis periculum magnum portenditur, & familiæ. Asin.3.3.27.

At Macede caue,

— sonitum, & crepitum claustrorum audio. Curc.1.3.47.

Fratres Augustiniani facta conspiratione contra te mouebunt, pœnas de illata iniuria sumpturi. Sanè intelligo te nunc eisdem tantò in odio esse, quanto olim in amore fuisti. Sed ipsi viderint, quid pro publica fama, & pro decore gentis, sarto tecto asserendo, deliberaturi sint. Dum tu iratum eisdem Numen vaticinaris, fit omnium clamor, resonantibus claustris

Vah, solus hic homo est, qui sciat diuinitus. Ibid.2.1.33.

Tu librum Norisii *infelicem* appelles. Ille liber nostro ciui aures hominum, ille nouam famæ patefecit. Ille Clementis X. ac Purpuratorum Patrum gratiam eidem conciliauit. Ille à Serenissimo Magno Duce Etruriæ litteratorum Mæcenate munificentissimo cathedram in Pisana Academia, ac tam grande congiarium Norisio momento impetrauit. Ille tam splendida Christinæ Augustæ Reginarum Maximæ iudicia demeruit, vt Auctor extra dubiam suffragiorum aleam regiis Academicis, quamuis absens, accenseretur. Ille regio Brabantini Senatus priuilegio munitus, Bruxellis iterum editus fuit. Vnus tù huic libro nigrum theta præfigis, ac *infelicem* traducis, cum Auctorem tanta honorum, ac bonorum copia cumulauerit, vt idem in Etruria.

Nunc lætus lætitia fruar.

Eueniunt digna dignis.

Plu-

Plurimum tu quoque, nobilissime, ac doctissime Francisce Sparaueri, seni Macedonio debes. Etenim cum tibi decretum esset, Musis, ac bono Genio tuo canere, non modo libris euulgatis in oculos, manusque hominum temere ingerere recusasti, verum etiam amplissimo, ac splendidissimo muneri vltrò tibi à defuncto Sabaudiæ Principe oblato, renunciasti, quo liberiùs in patrio otio, vni Palladi in secretiori tuo larario litares. At importunus senex, quietis nescius suæ, alienæ inuidus, pauculas tuas notas, & eas quidem, quod maioris impudentiæ argumentum est, manu exaratas, oppugnans, alienæ in loquendo inscitiæ inania verba, ac loquentiæ suæ strepitum, ac fumum suppeditans, mercenarius miles (triginta ducatorum stipendium tulit) te inuitum, ac reluctantem coegit, vt edita apologia, superbientis Thrasonis iactantiam uon tam comprimeres, quam irrideres. Quæ cum ille intelligeret, Mantissam quamdam expuit, quam nondum visis libri tui (qui etiamnum typis premitur) argumentis apponeret. Ita homo fanaticus, eodem vesaniæ spiritu, quo Augustinianis ob librum Norisij iratum Numen denunciauit, tui voluminis arcana penetrauit. Ceterum ex breuissimo tuo ad Mantissam responso, quod duas tantum pagellas implet, & ex tuis excerptis ab aduersario ipso publicatis, magnam tuo nomini famam circumdedisti; modò per ora, manusque hominum volitas, magnum Reipublicæ literariæ, maximum Veronæ nostræ incrementum. Sanè Macedo cum ex paucis ad Mantissam versibus intellexerit, quantus in bella venires, veritus ne tuo ex Germania libro irruente, in quo hastatos, & triarios in aciem explicas, nullus fieret, pannico timore perculsus, humillimis precibus publici magistratus decretum rogauit, ne quid contra se typis editum, publicè apud Bibliopolas prostaret. Videt enim quantulumcumque illud, quod æstimationis sibi reliquum est, à duobus Veronensibus hinc inde iactatum corruere. Itaque rogitat vt eo decreto

Trin.III.2 *fulmentas iubeant suppingi socris.*

94. Vobis vt *amussis centum, ac quinquaginta millium carmi-*

sibi triumphum canit in libello typis vulgato, cuius initium est: *E partito per Padoua quel* VIRTVOSONE, *e gloriosi Campione* (cur non CAMPIONONE) *della gratia, e di S. Agostino il P. Macedo &c.* in quo quidem libello contumelioso, ausus est blaterare diuinam prouidentiam cænobium Augustinianorum Patauij finisse funesto quodam casu plecti. Dabo verba maledica: *cominciando il castigo dal medesimo Conuento di Padoua, doue il Noris compose, e stampo quest'infelice libro.* Heu Fratres Augustiniani ab aruspice Macedonio

Edepol vobis periculum magnum portenditur, & familiæ. *Asin.3.327.*

At Macede caue,

— sonitum, & crepitum claustrorum audio. *Curc.1.3.47.*

Fratres Augustiniani facta conspiratione contra te mouebunt, pœnas de illata iniuria sumpturi. Sanè intelligo te nunc eisdem tanto in odio esse, quanto olim in amore fuisti. Sed ipsi viderint, quid pro publica fama, & pro decore gentis, sarto tecto asserendo, deliberaturi sint. Dum tu iratum eisdem Numen vaticinaris, fit omnium clamor, resonantibus claustris

Vah: solus hic homo est, qui sciat diuinitùs. *Ibid.2.1.33.*

Tu librum Norisii *infelicem* appelles. Ille liber nostro ciui aures hominum, ille ianuam famæ patefecit. Ille Clementis X. ac Purpuratorum Patrum gratiam eidem conciliauit. Ille à Serenissimo Magno Duce Etruriæ literatorum Mæcenate munificentissimo cathedram in Pisana Academia, ac tam grande congiarium Norisio nomento impetrauit. Ille tam splendida Christinæ Augustæ Reginarum Maximæ iudicia demeruit, vt Auctor extra dubiam suffragiorum aleam regiis Academicis, quamuis absens, accenseretur. Ille regio Brabantini Senatus priuilegio munitus, Bruxellis iterum editus fuit. Vnus tu huic libro nigrum theta præfigiis, ac *infelicem* traducis, cum Auctorem tanta honorum, ac bonorum copia cumulauerit, vt idem in Etruria

Nunc lætus lætitia fruat.

Euenjunt digna dignis.

Plu-

Plurimum tu quoque, nobiliſſime, ac doctiſſime Franciſce Sparaueri, ſeni Macedonio debes. Etenim cum tibi decretum eſset, Muſis, ac bono Genio tuo canere, non modo libris emulgatis in oculos, manuſque hominum temere ingerere recuſaſti, verum etiam ampliſſimo, ac ſplendidiſſimo muneri vltrò tibi à defuncto Sabaudiæ Principe oblato, renunciaſti, quo liberiùs in patrio otio, vni Palladi in ſecretiori tuo larario litares. At importunus ſenex, quietis neſcius ſuæ, alienæ inuidus, pauculas tuas notas, & eas quidem, quod maioris impudentiæ argumentum eſt, manu exaratas, oppugnans, alienæ in loquendo inſcitiæ inania verba, ac loquentiæ ſuæ ſtrepitum, ac fumum ſuppeditans, mercenarius miles (triginta ducatorum ſtipendium tulit) te inuitum, ac reluctantem coegit, vt edita apologia, ſuperbiloquis Thraſonis iactantiam non tam comprimeres, quam irrideres. Quæ cum ille intelligeret, Mantiſsam quamdam expuit, quam nondum viſis libri tui (qui etiamnum typis premitur) argumentis apponeret. Ita homo fanaticus, eodem veſaniæ ſpiritu, quo Auguſtinianis ob librum Noriſij iratum Numen denunciauit, tui voluminis arcana penetrauit. Ceterum ex breuiſſimo tuo ad Mantiſsam reſponſo, quod duas tantum pagellas implet, & ex tuis excerptis ab aduerſario ipſo publicatis, magnam tuo nomini famam circumdediſti; modò per ora, manuſque hominum volitas, magnum Reipublicæ literariæ, maximum Veronæ noſtræ incrementum. Sanè Macedo cum ex paucis ad Mantiſsam verſibus intellexerit, quantus in bella venires, veritus ne tuo ex Germania libro irruente, in quo haſtatos, & triarios in aciem explicas, nullus fieret, pannico timore perculſus, humillimis precibus publici magiſtratus decretum rogauit, ne quid contra ſe typis editum, publicè apud Bibliopolas proſtaret. Videt enim quantulumcumque illud, quod æſtimationis ſibi reliquum eſt, à duobus Veronenſibus hinc inde iactatum corruere. Itaque rogitat vt eo decreto

Trin. III. 2   *fulmentas iubeant ſuppingi ſoccis.*

94.   Vobis vt *amuſſis centum, ac quinquaginta millium carmi-*

num

rum furor insultat, ac spiritu non Apollineo, sed ampullineo inflatus; non Cabalinum, sed Asininum fontem potus, noua carmina, ac satyras in bicipiti suo Parnaso somniat, ac minitatur. Scio vtrumque vestrum ad meliora studia, & vestro nomine digna monumenta animum adiecisse, atque ea mente esse, vt hominis tacere nescientis latratus surda aure pertranseatis. Mihi, mihi, eruditi, ac chari ciues, hanc vilem Spartam deposco. Mehercule cum soluta oratione, tum metro, si quidpiam contra vtrumque vestrum ediderit,

Tam frictum illum reddam, quam frictum est cicer. Bacch. IV. 5. 7.
Tum senex hic Lusitanus, alienigena, insititius, malo hercle iam magno suo, discet, quantum fuerit Veronenses ad bella literaria prouocasse, dum iidem vicinum octogenario seni sepulchrum *elogiorum carbonibus implebunt.* Merc. II 2. 15.

Hæc ruri stylo planè rusticano, sine vllo librorum præsidio, vno tantùm mihi Plauto dicta suggerente, non sine risu scriptitaui, quæ quicumque leget, maiores forsitan petulanti splene cachinnos sustollet.

Memoriæ proditum est, Alexandrum Magnum Macedonem, cum ingenti superbia tumidus, ac vltra fastigium elatus, semet Ioue Hamone genitum crederet, semel hostili ferro percussum, ac cruore latiùs e plaga manante, vnum se de reliquo mortalium grege cognouisse. Vtinam, Macedo minor, qui modò te comparas in literis Alexandro Magno in armis, & in scientia Augustino, cum tuos errores a tribus Veronensibus (ex me enim homine licet faceto, & planè Plautino, hostium contra te numerus creuit) Orbi literario propalatos non sine dolore, intelligas, haud te deinceps talem in literis iactes, qualis in armis Alexander fuit, nec te paris cum Augustino scientiæ credas, sed temet hominem erratis, & quidem non paucis obnoxium fateare, ac deposito tuo illo antiquo, & vitio tuæ tibi gentis fortasse ingenito fastu, & depresso ad frontem cucullo, cum religiosa professione minor & esse, & haberi velis, desinas temet Veronensibus nostris Scriptoribus, quod eruditionem attinet, maiorem tam grandi o-

ris

ris hiata prædicare; hac enim demum ratione, iuxta Oraculi monitum, noſces te ipſum. Hancce tu mentem ſi ſemel induas, abiecta Plautina haſta, qua te hucuſque, non quidem transfodi, ſed tantùm pupugi, caduceum profero, ac nomine Notiſſi mei quondam ſub Melchiore Mazzolenio condiſcipuli, & inter paucos amici, nec non Sparauerii affinis, & in forenſi theatro collegæ, non quidem ſupplex, ſed vltrò, re noſtra integra, ac felici fato proſperata, tuæ tantùm decrepitæ quamuis viuidæ, ac præferocis ſenectutis vicem miſeratus, generoſis Punici Ducis vocibus vſus, *Annibal peto pacem*, ea tantum lege firmandam, vt à *Veronenſibus* laceſſendis deſiſtas. Plurimi tua

Livius Decis. 4. li. 10. interest, qui licet, vt ait Petronius, ætatem benè feras, & planè corneolus tibimet videare, es tamen ſenex octogenarius, non relinquere longè te iuniores hoſtes, qui tuos manes aduerſariis ſcriptis inquietent. Si pacem ea conditione velis, faxo reliquum, quod tibi ætatulæ ſupereſt, quietè, ac tranquillè degas, ac libris aliis ſi non diutiùs meditandis, cum id tibi nunquam vſu venerit, nec iam illos in nonum annum, etiamſi velis premere poſſis, properè ſaltem ſcriptitandis totus incumbas. Si annuis, omnia Veroncoſibus antidhac contra te dicta, indicta ſunto. Cedo dexteram, ac tuos in amplexus ruo. Euge pe! mi Macede, mi chare ſenex, do ſuauium, ac cum meo Plauto lætabundus exclamo.

Stich. V. 1. 1. *Babe, Tate, Papa, Pax.*